C. CRISPI SALUSTI

ORATIONES ET EPISTOLAE

EX HISTORIARUM LIBRIS DEPERDITIS.

AD FIDEM CODICUM

VATICANORUM

RECENSUIT

ATQUE IN SCHOLARUM USUM

EDIDIT

IO. CASP. ORELLIUS.

TURICI
TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM
M. DCCC. XXXI.

IO. CASP. ORELLIUS GEORGIO HENRICO MOSERO S. P. D.

Cetera Salustii scripta quum sexcenties iam edita sint in adolescentium usum, semel has quoque praeclaras eius reliquias, immerito fere neglectas, iisdem proponere statui. Etenim haud prorsus repudiandum videbatur Cortianum illud: „pro certo affirmare possumus, qui genium Salustii, emendatissimum genus dicendi, praegnantem brevitatem propius nosse cupit, illum prius Orationes illas et Epistolas, quam integra duo Crispi opera legere debere. Hae enim quum non toties librariis obnoxiae fuerint quam Catilina et Iugurtha, non tam foede corruptae ad nos pervenerunt." Nec multum ab his abhorret Kritzii elegans iudicium. (Praef. p. XVII.)

Tota autem libelli ratio haec est: adiutus Vaticano primo ac secundo Gerlachii, Vaticano tertio sive Carrionis et Bongarsiana, quam nuper nactus sum, vel huius ipsius Vaticani tertii vel certe simillimi Codicis Vaticani collatione cum Carrionis cura (Antverpiae M. D. LXXIX.), tum libris Ursini et Ciacconii, editione Pomponii Laeti (Romae M. CCCC. XC.) aliisque veteribus, quibus equidem annumero libros quos dicunt Fabri et Briconeti, permulta inveterata vitia foedasque interpolationes inde ex editione Io. Britannici (Brixiae M. CCCC. LXXXXV.) Veneta MD.,

et in primis ex Aldina priore (M. D. IX.) in novissimas quoque mira pertinacia propagatas tandem prorsus sustuli, praeeunte ex parte amicissimo Gerlachio, quocum consociatus aliquando has ipsas reliquias et Pseudosalustii ad C. Caesarem epistolas pleno cum apparatu critico editurus sum. Quo in consilio persequendo confirmavit me nuperrima Weisii editio, ultra quam credibile est, mendosa ac paene dixerim fatua. Quanto melius is fecisset, si vel Cortii vel Gerlachii ἔκδοσιν simpliciter repetendam curasset! Nunc vero ingenti errorum cuiusque generis atque interpolationum numero reducto *), adolescentulis, quibus curam a se elaboratam destinavit, misere imposuit, viros doctos perquam ridicule ludificatus est.

Quaecunque autem in Cortiana lectione reformavi (centum circiter loci sunt:) nisi ubi e coniectura id factum esse notatum est, ea e Codicibus Vaticanis et Pomponio Laeto hausta esse scito. Subiunguntur quaestiones et grammaticae et criticae, ad acuenda adolescentulorum ingenia idoneae. In fine autem addidi scholia, alia historici argumenti eaque magnam partem ex amici commentario repetita, alia locis difficilioribus interpretandis vindicandisque lectionibus a me receptis destinata.

Ego vero ita hoc opusculo uti decrevi, modo ut in scholis publicis expositurus sim, modo discipulos longius ceteris provectos has eclogas accurate perlegere iubeam, dein domi meae experiar, quam recte quaeque intellexerint, quam scite dubia in Quaestionibus proposita nec soluta expedire vel ipsi vel scholiorum ope potuerint, eo quidem consilio, ut huiuscemodi inceptis incitati atque exercitati deinceps ad maiora etiam difficilioraque alacri animo pergant.

---

*) Quinquagies ter Gerlachii ἔκδοσιν harum eclogarum is denuo corrupit, quaterdecies emendavit.

Tu autem, mi Mosere, libenti animo tenue hoc munusculum accipias rogo oroque, et communia nostra studia strenue bonoque cum eventu, ut soles, in posterum quoque iuva. Inter nos ambos, mirum dictu, illud semper obtinuit obtinebitque: *Figulus figulum amat.*

D. Turici. Kal. Septembribus. M. DCCC. XXXI.

INDEX.

ORATIO LEPIDI CONSULIS
AD
POPULUM ROMANUM.

Clementia et probitas vestra, Quirites, quibus per 1
ceteras gentis maxumi et clari estis, plurumum timoris mihi faciunt advorsum tyrannidem L. Sullae; ne, quae ipsi nefanda aestumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini —: praesertim quom illi spes omnis in scelere atque perfidia sit neque se aliter tutum putet, quam si peior atque intestabilior metu vestro fuerit, quo captivis libertatis curam miseria eximat —: aut si provideritis, in tutandis periculis magis quam

CORTIUS. Vers. 3. advorsus 4. ne ipsi nefanda quae 5. cum (*sicque semper.*) 9. quam in ulciscendo

QUAESTIONES. §. 1. *gentis*] Quid de hac forma notandum? — *maxumi et clari*] Cfr. Catil. 53. Iug. 14. 92. — Undenam ortae sunt corruptelae vv. *ne quae ipsi* cet.? Scil. 1) *ne quae ipsi nefanda non aestimatis* Ascensiana tertia 1513. 2) *ne ipsi nefanda quae aestumatis* Cortius. 3) *ne aut ipsi nefanda quae aestumatis* Gruterus, Weise. 4) *nedum aut ipsi nefanda non aestimatis* Brixiana 1495. 5) *ne aut ipsi nefanda quae non existumatis* Carrio. — *quom*] Thesis: „Haec scriptura non solum in Salustio, sed etiam in Cicerone ubique restituenda." — *intestabilior*] Forcellinus Graece reddit *ἀδόκιμος, ἀμάρτυρος*, Gesnerus *μυσαχθής* (*μυσαρός.*) Quid de his interpretationibus iudicandum? — *metu vestro*] Estne ablativus instrumenti, an, quod Cortius ratus est, significat: „peior, quam vos timetis? an, ut Dureau de Lamalle: *metu vestro*]

2 ulciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maxumi nominis, optumis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant et utrumque per iniuriam malunt quam optumo iure liberi agere; praeclara Brutorum atque Aemiliorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quae
3 maiores virtute peperere, subvortunda! Nam quid a Pyrrho Hannibale Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas et suae cuique sedes; neu cui nisi legibus pareremus? Quae cuncta scaevus iste Romulus quasi ab externis rapta tenet, non tot exercituum clade neque consulum et aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus, sed tum crudelior, quom plerosque secundae res in miserationem ex ira vortunt. Quin solus omnium post memoriam humani *generis* supplicia in post futuros composuit, quis prius iniuria quam vita certa esset; pravissumeque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit, dum vos metu gravioris serviti a repetunda libertate terremini.

2. nominis, non minus optimis 3. mirari: dominationis 5. libere 7. subvertunda (*sicque semper in v.* vortere.) 10. saevus 12. consulis 15. post memoriam hominum. (Cdd.: post memoriam humani. *Supplevi* generis.) 18. furit 19. servitii (*sicque in talibus semper duplex* i.)

espèce d'ablatif absolu: „La crainte étant votre lot." — *captivis*] — *captis* Vatic. tertius. Cur praestat illud? — *in tutandis periculis* et *teneamini*] Quomodo Graece dicas? — Aldina secunda *in vitandis.*

§. 2. „Satelles, stipator, assecula, (assecla), assectator, pedisequus; socius, minister, administer, emissarius, canis." — Unde orta est vulgata lectio: Nominisnonminusoptimis? — Cur reiicienda lectio librr. Fabri et Briconeti: — *dominationis suae in vos?* — *utrumque?* — Quid interest inter *liberi* et *libere agere?* Pseudosal. ad Caes. 2, 5. *plebes eo libere agitabat.* (*libere* scil. h. l. Carrio et Cortius.)

§. 3. *a Pyrrho - - defensum?* — *scaevus*] Codd. Vaticc. cur praeferendum alteri lect. *saevus?* — Cur *consulum* (Vaticc.) non *consulis?* — Cur falsa Douzae suspicio: *plerisque - - vortunt?* — Cur locum non habet *furit?* ut primus dedit Aldus. — Num legendum *deterremini?*

Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne 4 spolia vestra penes illos sint: non prolatandum neque votis paranda auxilia; nisi forte speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse et eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum et omnia retinendae dominationis honesta aestumet. Itaque illa quies et 5 otium cum libertate, quae multi probi potius quam laborem cum honoribus capessebant, nulla sunt: hac tempestate serviundum aut imperitandum, habendus metus est aut faciundus, Quirites. Nam quid ultra? quaeve humana superant aut divina impolluta sunt? Populus Romanus, paullo ante gentium moderator, exutus imperio gloria iure, agitandi inops despectusque ne servilia quidem alimenta reliqua habet. So- 6 ciorum et Lati magna vis civitate pro multis et egregiis factis a vobis data per unum prohibentur, et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges iudicia aerarium, provinciae reges penes unum, denique necis civium

2. penes illum 3. speratis, per taedium iam aut pudorem tyrannidis, esse eum 6. uti 7. existumet 11. metus aut

§. 4. *obviam eundum*] Graece. — Unde orta interpolatio vv. *speratis taedium* cet.? — Quid iudicandum de hac Cortii annotatione: „Videamus, an *tutum* active sumpserit Crispus pro eo, quod tueatur dominationem": —? — *omnia retinendae dominationis*] cfr. Catil. 6. ibique Kritz. Iug. 88. — *aestumet*)(*existimet*.

§. 5. Utra distinctio praestat: *nulla sunt hac tempestate: serviundum:* — *nulla sunt: hac tempestate serviundum:?* Pseudosal. ad Caes. 2, 9. *virtus*, *vigilantia*, *labos apud Graecos nulla sunt.* — Cic. in Verr. 5, 47. *Estne aliquid ultra*, *quo progredi crudelitas possit?* Gerlach. — *superant?* — *agitandi?* Arusianus Messius s. Pseudofronto. — Codices Vatt.: *cogitandi.* — *servilia alimenta?*

§. 6. *Socii et Latium* quomodo usitatius dicitur? Tertiam rationem Salustianam quaere Iug. 43. (Livius 31, 35.) — Quomodo corrigenda vulgata lectio Sestianae §. 30. *socii Latini?* — Cur reiiciendum aliorum *mercede?* — *humanas hostias?* — *solvere iniuriam:* Graece? — Cur Wasse malebat *unam* — — *finem?*

et vitae licentia. Simul humanas hostias vidistis et sepulchra infecta sanguine civili. Estne viris reliqui aliud quam solvere iniuriam aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro saeptis statuit, neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus nisi muliebri ingenio exspectat.
7 Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui praemia turbarum queror, et bellum cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens et scriba Cornelius aliena bene parta prodegerint; nisi approbaritis omnes proscriptionem innoxiorum ob divitias; cruciatus virorum inlustrium, vastam urbem fuga et caedibus, bona civium miserorum quasi Cimbricam praedam venum aut dono datam. Et obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum; quod quidem scelerum illius vel maxumum est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quae tum formidine mercatus sum, pretio soluto, iure, dominis tamen restituo neque pati consilium est ullam ex civibus praedam esse.
8 Satis illa fuerint, quae rabie

8. quia iura 10. Vettius Picens, scriba 11. parata (Ibid.) approbaveritis - - proscriptiones 19. pretio soluto: iure dominis

§. 7. Cur repudiandum Edd. aliq. vett. et Gronovii *quaero?* — *scriba*: cur invidiosum nomen? — Satisne defenditur lect. vulg. *parata* Livii loco ab interprett. allato 26, 34. *ne ipsi posterive eorum uspiam pararent haberentve*: et Iug. 31. *servi aere parati?* — Quid iudicas de Bongarsii suspicione *ob divitias* e gloss. esse? — *venum - - datam*] Ad grammaticam h. v. rationem nota vv. XII. Tabularum apud Ulpianum Fragm. Tit. X. §. 1. Ed. Boecking. p. 16. SI PATER FILIUM TER VENUNDAVIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO: alii *venum duit*. — „*faceremus* pro *fecissemus*; nisi potius tamen *fecissemus* rescribendum." Douza. —?. — Quomodo diiudicandae variae distinctiones vv. *mercatus sum pretio soluto iure dominis tamen restituo*, ut sine distinctione exhibet Ed. Ascensiana prima? Scil. Cortius ut est in var. lect. — Contra Ed. Antverp. 1564.: *pretio*, *soluto iure*, *dominis* cet.

§. 8. *rabie contracta*)(*rabie contacti* VV. DD. coniectura: —? — Num leg. *quantum audeat is?* — *antecapere* quo-

contracta toleravimus, manus conserentis inter se Romanos exercitus et arma ab externis in nosmet vorsa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret et, si liceat, avidius fecerit.

Neque iam quid existumetis de illo, sed quantum 9
audeatis vereor; ne alius alium principem exspectantes antecapiamini, non opibus eius, quae futiles et corruptae sunt, sed vestra secordia, quam raptum ire licet ei, quem haud pudeat tam videri felicem. Nam praeter satellites commaculatos quis eadem volt? aut quis non omnia mutata praeter victoriam? Scilicet milites: quorum sanguine Tarulae Scyrtoque, pessumis servorum, divitiae partae sunt; an, quibus praelatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot volnera et labores nihil praeter tyrannum quaesitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem evorsum profecti sunt per arma, conditam a maioribus suis, utique iura et iudicia sibimet extorquerent; egregia scilicet mercede, quum relegati in paludes et silvas contumeliam atque invidiam suam, praemia penes paucos intellegerint. Quare igitur tanto agmine atque 10
animis incedit? quia secundae res mire sunt vitiis ob-

6. quantum vos audeatis 9. socordia (*sicque semper.*) (Ibid.) quam captum (*Cdd.* raptum) iri licet et quam audeat tam. *Quod reposui, ex mea est coniectura.* 13. Tarrulae Scyroque 15. Fusidius 24. intelligerent

modo construitur apud Salustium? Cat. 13. Cat. 32. Cat. 55. Iug. 21. Iug. 50.

§. 9. Quomodo explicanda coniectura a me proposita et in hac scholastica editione recepta? — *ancilla* h. l.? — Quid iudicandum de distinctione, quam Ursinus suasit: *profecti sunt*, *per arma conditam* cet.? — Quid de forma σολοικοφανεῖ *intellegerint?*

§. 10. *obtentui?* — *labefactus*, *labefactatus*. — Quid iudicandum de lectionibus *forte spe* et *forte spes est?* Priorem Weise recepit. Exciditne fortasse verbum, ut ratus est Du-

tentui; quibus labefactis, quam formidatus est, tam contemnetur; — nisi forte specie concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio suo nomina indidit. Neque aliter rem publicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, praeda civilis acerbissuma, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Ro-
11 mani fuit. Quae si vobis pax et composita intelleguntur, maxuma turbamenta rei publicae atque exitia probate, annuite legibus impositis, accipite otium cum servitio et tradite exemplum posteris ad rem publicam suimet sanguinis mercede circumveniundam.
12 Mihi quamquam per hoc summum imperium satis quaesitum erat nomini maiorum, dignitati atque etiam praesidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere, potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quae si probatis, adeste, Quirites, et bene iuvantibus dis, M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem.

1. labefactatis (Ibid.) formidatus antea est 3. Neque aliter populo Romano esse belli finem ait 7. pax et concordia intelligun-tur 10. ad populum Romanum - - circumveniundum 17. Diis

reau de Lamalle? — Cur corrupta sunt verba *neque aliter rem publicam* cet.? — *ius iudiciumque omnium rerum?* — *composita*] Quomodo defendenda haec Codd. lectio pro *concordia*, interpolatione Aldina?

§. 11. Defendine potest Codd. lectio: *ad rem p. suimet sanguinis mercede circumveniundam?* an praestat Cortiana? — *quaesitum?*

§. 12. *opes facere*] cfr. Senecae Ep. 114. — Cur *divis* Vat. primi recipiendum non est? Cfr. Iug. 85.

ORATIO L. PHILIPPI IN SENATU.

Maxume vellem, Patres conscripti, rem publicam 1
quietam esse aut in periculis a promptissumo quoque
defendi, denique prava incepta consultoribus noxae
esse. Sed contra seditionibus omnia turbata sunt, et
ab iis, quos prohibere magis decebat. Postremo,
quae pessumi et stultissumi decrevere, ea bonis et
sapientibus faciunda sunt. Nam bellum atque arma,
quamquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent,
sumenda sunt. Nisi forte cui pacem praestare et bel-
lum pati consilium est. Pro di boni, qui hanc ur- 2
bem, omissa cura, adhuc regitis! M. Aemilius, omni-
um flagitiosorum postremus, qui peior an ignavior
sit deliberari non potest, exercitum opprimundae liber-
tatis habet et se e contempto metuendum effecit: vos
mussantes et retractantes, verbis et vatum carminibus

10. Dii

§. 1. *sed contra*] Cfr. Iug. 85. *sed mihi contra ea videtur.* Sic etiam Turic. Eins. Alii vero omittunt *ea.* — *consultor*, *auctor?* — „Credo Salustium scripsisse: *et quos prohibere* cet." CORT. (?) — *pacem praestare?* —

§. 2. *omissa cura*] Triplex exstat h. l. interpretatio: quaenam praestat? 1) „dii, qui hanc urbem, etsi omissa (remissa aliquantum) pristina cura, adhuc tamen (aliquatenus) regitis." 2) „dii, qui adhuc negligentes estis in regenda hac urbe." 3) „dii, qui, etsi omissa ab hominibus cura (vel „in tanta civium incuria") hanc urbem adhuc regitis, nondum prorsus

pacem optatis magis quam defenditis, neque intellegitis mollitia decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id iure; quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob bene facta cepisset, cuius sceleribus tanta praemia tribuistis?

3 At scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem, concordiam et alia huiuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse. Immo despecti et indigni re publica habiti praedae loco aestumantur; quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, quom Etruriam coniurare, proscriptos accersi, largitionibus rem publicam lacerari videbam, maturandum putabam, et Catuli consilia cum
4 paucis secutus sum. Ceterum illi, qui gentis Aemiliae bene facta extollebant et ignoscendo populi Ro-

5. benefacta 7. At scilicet ii, qui 13. accersiri

deseruistis." — Num *qui* cum Dureau de Lamalle haberi potest pro particula, i. e. *quomodo*? — *flagitiosorum postremus*] Quid huius simile exstat in Ep. Mithridatis? — *deliberari?* — *exercitum opprimundae libertatis?* — „*mussare* dictum, quod muti non amplius quam *μῦ* dicunt." Varro LL. 7. p. 377. Speng. — Cic. Tuscul. Lib. 1, §. 76. *sive retractabis sive properabis.* Lib. 5, §. 82. *sine retractatione.* — Utrum *verbis* iungendum etiam cum v. *defenditis*, an tantummodo cum v. *optatis?* — *mollitia*] Iug. 85. *quom tute per mollitiem agas.* Contra Catil. 52. *inertia et mollitia animi alius alium exspectantes cunctamini.*

§. 3. *scilicet - - peperisse?* Cfr. Iug. 4. 102. et 113. — Quid notandum circa numeros oratorios in verbis *ab eo peperisse;* §. 10. *decreta paratis;* Ep. Pompeii in fine: *transgredientur;* Orat. Philippi §. 9. *civem patiuntur;* Orat. Macri §. 4. *pertimuere;* Orat. Cottae §. 1. *deseruere;* Catil. 1. *oboedientia finxit;* ibid. *virtus clara aeternaque habetur.* 2. *omnia parent;* ibid. *de utraque siletur;* 3. *multa advorsa fuere;* 5. *semper cupiebat*; ibid. *quas supra memoravi;* 20. *omnia consenuerunt;* Iug. 110. *haud repulsus abibis:* — ? — *indigni rep. habiti?* — *accersi arcessi accersiri?* Priscian. 10, 8. p. 504. Krehl. *accerso*, *accersivi;* sed Cod. Turic. perbonus: *arcesso*, *arcessivi.*

§. 4. *auxisse* quomodo in nostra lectione explicandum? — Quid potissimum obstat, quo minus cum Faërno legamus:

mani magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant, quom privata arma opprimundae libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quaerundo consilium publicum corruperunt. At tum erat Lepidus latro cum calonibus et paucis 5
sicariis, quorum nemo diurna mercede vitam mutaverit: nunc est pro consule cum imperio, non empto, sed dato a vobis, cum legatis adhuc iure parentibus; et ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissumi, flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum conscientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbae sunt; hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt, Saturnini olim, post Sulpici, dein Mari Damasippique, nunc Lepidi satellites. Praeter- 6
ea Etruria atque omnes reliquiae belli arrectae; Hispaniae armis sollicitae; Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin praeter idoneum ducem nihil abest

5. Attamen erat 12. Sulpicii, dein Marii

populum Romanum? — Explica zeugma in vv. *Ceterum illi - - - auxisse. — nusquam - - progressum?*

§. 5. Quomodo explicanda illa: *quorum nemo diurna mercede vitam mutaverit?* Pseudosal. ad Caes. 2, 4. *Nam quid ego de te dicam, cuius contumeliam homines ignavissumi vita sua commutare volunt?* Habuitne simia ante oculos hunc ipsum locum? — Cur falsa est interpolatio Edd. aliq. *nemo non diurna?* Ceterum nostram lectionem Cortius ita interpretatus est: „notat, iis diurnam mercedem ipsa vita cariorem esse, quod postremis hominum et perditissimis proprium est." Num probanda haec explicatio? — *pro consule*] Fateor apud Prisc. l. l. e Salustii Hist. Lib. 1. (Gerlach. p. 223, 27.) afferri *Domitium proconsulem* (sicque etiam Cod. Turic.) Sed apud eundem 18, 4. p. 122. (Gerl. p. 243. Lib. V, 1.) antea erat *Q. Marcium Regem pro consule;* Krebl.: *proconsulem.* Cfr. *pro praetore* Iug. 36. et 37. — *cupidinibus*] Sic Codd. (Iug. 1.) Alii, etiam Weise: *cupiditatibus*: — ? Catil. 5. *ardens in cupiditatibus.* —

§. 6. Tacit. Ann. 3, 11. *arrecta omni civitate*)(ibid. c. 7. *erectis omnium animis spe petendae - - ultionis*; cfr. Kritz. ad Catil. 39. p. 183. Iug. 84. *eos non paullum oratione sua Marius arrexerat.* Undenam haec tralata?

7 ad subvortundum imperium. Quod ego vos oro atque obsecro, Patres conscripti, ut animadvortatis; neu patiamini licentiam scelerum quasi rabiem ad integros contactu procedere. Nam, ubi malos praemia secuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. An exspectatis, dum exercitu rursus admoto, ferro atque flamma urbem invadat? quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace et concordia ad arma civilia; quae ille advorsum divina et humana omnia cepit non pro sua aut quorum simulat iniuria, sed legum ac libertatis subvortundae. Angitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consilii, inquies, haec atque illa tentans; metuit otium, odit bellum; luxu atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vestra secordia. Neque mihi satis consilii est, metum, an ignaviam, an dementiam eam appellem; qui videmini intenta mala quasi fulmen optare se quisque ne attingat, sed prohibere ne conari quidem.

8 Et quaeso considerate, quam convorsa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia-

5. sequuntur 7. invadit 16. consilii, metum

§. 7. Inspectis locis Cat. 36. Iug. 32., Hist. 4, 9. *qui quidem mos, uti tabes, in urbem coniectus*, quid iudicandum de Carrionis suspicione: *quasi tabem? Rabiem* quomodo defendi potest? (Cfr. Lepidi Orat. §. 8. Liv. 21, 48.) — *ferro atque flamma*] Quomodo usitatius dicitur? — *dum invadat*)(*dum invadit?* — Quid dicendum de hac Douzae annotatione: „*quam ex pace* cet.] Scriptura haud dubie mendosa et quam iuxta cum ignarissimis intelligo; nisi tamen totus locus interpolandus et fortasse in hunc modum constituendus: *quam ad pacem et concordiam ab armis civilibus.*" — ? — Num defendi potest lectio *agitur?* — Quonam iure Stewechius h. l. et infra volebat *lancinatur* (ad Appul. Oudend. I. p. 298.)? — *animi cupidine* cfr. Cat. 58. Iug. 20. *timor animi.* — *inquies* et *inquietus:* neutrum Tullianum. — Quomodo explicanda constructio vv. *qui videmini* cet.?

§. 8. *rerum natura* h. l.? — Quid iudicandum de lect. Vat. sec. *inscindi?* — Num leg. *quum ipse armis agat?* Cfr. Iug. 10. — *plebei*] Priscian. 6, 11. T. 1. p. 256. Kr. „In-

palam instruebantur; et eo boni malos facile anteibant: nunc pax et concordia disturbantur palam; defenduntur occulte. Quibus illa placent, in armis sunt; vos in metu. Quid exspectatis? nisi forte pudet aut piget recte facere. An Lepidi mandata animos movere? qui placere ait sua cuique reddi, et aliena tenet; belli iura rescindi, quum ipse armis cogat; civitatem confirmari, quibus ademptam negat; concordiae gratia plebei tribuniciam potestatem restitui, ex qua omnes discordiae accensae. Pessume omnium atque 9
inpudentissume, tibine egestas civium et luctus curae sunt? cui nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam. Alterum consulatum petis, quasi primum reddideris; bello concordiam quaeris, quo parta disturbatur; nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum neque deorum pudet, quos per fidem aut periurio violasti! Qui, quando talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor; neu prolatandis seditionibus, inquies ipse, nos in sollicitudine attineas. Neque te provinciae neque

2: pax; concordia 5. movent

venitur etiam *plebes plebei.* Salustius in I. Historiarum: *plebei tribuniciam potestatem.* Nam *plebs plebis* facit genitivum." Verum quidem illud est, *plebei* saepe apud Livium (et *plebi* in optimis Cic. Codd.) esse genitivi formam in formula *TRIB. PL.* Sed h. l. videtur dativus; ut apud Livium 8, 12. *leges secundissimas plebei, adversas nobilitati tulit* et in Gruteri Inscriptt. 392, 1. *LOCVS PLEBEI DATVS.*

§. 9. *tibine — curae sunt*] Ursinus: *sint —? per fidem aut periurio?* Cur interpolarunt nonnulli *perfidia?* Cfr. Caesarem B. G. 1, 46. *committendum non putabat, ut dici posset eos ab se per fidem in colloquio circumventos.* Seneca de provid. 3: *Multa milia civium Romanorum uno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata* ab Sulla. Cfr. Burhouf. Ad mutationem casuum cfr. Iug. 7. *per vim neque insidiis.* — *quando talis es?* — Cur locum non habet lectio Edd. aliq.: *nos in sollicitudine retineas?* — Cur praeferendum erat *patiuntur* futuro a Douza proposito? — *coeptas*] Al. *coepisti.* Pseudosal. ad Caes. 2, 2. *indigna virtute tua coeptas* recte Vat. pr. Contra: — *cogitas* Vat. sec. et Bongarsii. — *cogites* Edd. Curnani h. v. utrobique corruptum? — *maturis-*

leges neque di penates civem patiuntur. Perge, qua coeptas, ut quam maturrume merita invenias.

10 Vos autem, Patres conscripti, quousque cunctando rem publicam intutam patiemini et verbis arma tentabitis? Delectus advorsum vos habiti; pecuniae publice et privatim extortae; praesidia deducta atque imposita; ex lubidine leges imperantur, quom interim vos legatos et decreta paratis. Quanto mehercule avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, quom intelleget se metu magis quam aequo et bono sustentatum. Nam qui turbas et caedem civium odisse ait et ob id, armato Lepido, vos inermos retinet, quae victis toleranda sunt, ea, quom facere possitis, patiamini potius censet. Ita illi a vobis pacem, vobis
11 ab illo bellum suadet. Haec si placent, si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scelerum Cinnae, cuius in urbem reditu decus ordinis huius interiit, nihilominus vos atque coniuges et liberos Lepido permissuri sitis, quid opus decretis? quid auxilio Catuli? Quin is et alii boni rem publicam frustra curant. Agite, uti lubet; parate vobis Cethegi atque alia pro-

2. qua coepisti 8. Et quanto 12. inermes

sume Edd. aliq. Estne merus error librariorum Sec. XV., an ipsius Salustii manus? — Charisius Lib. 2. p. 184. Putsch. „M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: - - *maximos tumultus maturissume disieci atque consedavi.*" — Scriptor ad Herennium 4, 17. *in aetate maturissuma*, allatus propterea sub Ciceronis nomine a Prisciano 3, 3. T. I. p. 116. Kr. Columella 12, 17. *ficus viridis quam maturissima legenda est*, etiam in Cod. Sangermanensi.

§. 10. *deducta*] „i. e. distributa." Cort. (?) — Cur *imperantur*, non, ut nonnulli volebant, *imperatae?* — *sustentatum?* — *inermos*: — Quaere similia quaedam, ut *semisomnus* cet. Pomponius Laetus h. l. *inermes*. cfr. Kritz. ad Catil. 59. p. 318. — *suadet*, an *suadent*, ut habent alii?

§. 11. Exemplar: *tanta torpedo animos oppressit* (cur non *obrepsit?*): imitator (Pseudosal. ad Caes. 2, 8.): *desidia et inertia et stupor eos atque torpedo invasit.* — *vera?* — *nomine*, an cum Codd. et Pomponio *nomini?* — *ingenium* h. l.? Douza volebat *imperium.* — *collecta?* Num *contracta*?

ditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt et rursus advorsum deos penatis manus armare. Sin libertas et vera magis placent, decernite digna nomine et augete ingenium viris fortibus. Adest novus exercitus, ad hoc coloniae veterum militum, nobilitas omnis, duces optumi; fortuna meliores sequitur: iam illa, quae secordia nostra collecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo: quoniam Lepidus exer- 12
citum privato consilio paratum cum pessumis et hostibus rei publicae contra huius ordinis auctoritatem ad urbem ducit, uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo pro consule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio sint operamque dent, ne quid res publica detrimenti capiat.

7. quae collecta sunt socordia nostra, dilabentur 11. ut Appius

§. 12. Requiri videtur *M. Lepidus.* Curnam? — *uti* cur h. l. praeferendum erat aliorum *ut?* — *detrimenti*] Catil. 29. Caesar B. C. 1, 4.

ORATIO CAI COTTAE

AD

POPULUM ROMANUM.

1 Quirites, multa mihi pericula domi militiaeque, multa advorsa fuere; quorum alia toleravi, partim reppuli deorum auxiliis et virtute mea: in quis omnibus nunquam animus negotio defuit neque decretis labos. Malae secundaeque res opes, non ingenium mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. Praeterea senectus, per se gravis, curam duplicat, cui misero acta iam aetate ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam, si parricida vestri sum, et bis genitus hîc deos penatis meos pa-

1. militiae 4. neque animus 5. res, opes, non

§. 1. *alia* - - *partim.* Item: *partim* - - *alii* Iug. 40. — *animus* cet.] Quomodo haec sententia explicanda? — *labos.* Servius ad Aen. 1, 253. Quum secundum artem dicamus *honor*, *arbor*, *labor*, plerumque poëtae *r* in *s* mutant, causa metri. *Os* enim longa est, *or* brevis. Hoc quidem habet ratio: sed ecce in hoc loco et sine metri necessitate *honos* dixit. Item Salustius paene ubique *labos* posuit, quem nulla necessitas coëgit. — *opes* et *ingenium* estne nominativus, ut dicunt Interpretes (ita distinguentes *res, opes*)? — *mutare* illi quonam significatu acceperunt? — an accusativus? — *acta*, *exacta*, *senecta aetate.* — Cur hoc postremum, a Carrione repositum, non convenit huic loco? Quamquam Servius ad Aen. 11, 165. „Salustius: *senecta iam aetate.*" Quid iudicandum de Doederleinii coni. (*Synon.* 4. p. 94.) *cui misero*, *seni*, *acta iam aetate* cet.? — *parricida* Catil. 31. — *bis genitus*] Cic. ad Attic. 6, 6. *Amicorum literae me ad triumphum vocant*, *rem a nobis*, *ut ego arbitror*, *propter hanc παλιγγενεσίαν nostram non neglegendam.*

triamque et summum imperium vilia habeo, quis mihi vivo cruciatus satis est aut quae poena mortuo? quin omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici. A prima adulescentia in ore vestro privatus et 2 in magistratibus egi: qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt; neque ego callidam facundiam neque ingenium ad male faciundum exercui; avidissumus privatae gratiae maxumas inimicitias pro re publica suscepi; quis victus cum illa simul quom egens alienae opis plura mala exspectarem, vos, Quirites, rursus mihi patriam deosque penatis cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gra- 3 tus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. Nam vita et mors iura naturae sunt: uti sine dedecore cum civibus fama et fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissuma re publica. Namque imperatores Hispaniae stipendium milites, arma frumentum poscunt; et id res cogit, quoniam defectione sociorum et Sertorii per montis fuga neque manu certare possunt neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur; Macedonia plena hostium est, nec minus Italiae marituma et provinciarum; quom interim vectigalia parva et bellis incerta vix partem sumptuum sustinent: ita classe, quae commeatus tuebatur, minore quam antea navigamus.

3. cum omnia 7. malefaciundum 9. qui victus 11. deos 27. ante

§. 2. *Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur.* Sal. Fragm. hist. incert. N. 184. Num propterea hic cum Carrione rescribendum *caninam facundiam?*

§. 3. *iura*, an *iure* cum aliis? — *Asia Ciliciaque?* — Num leg. *utensilia* pro *utilia?* Cfr. Iug. C. 86. *Marius stipendio, armis, aliis utilibus navis onerat.* — *quom interim* — *classe navigamus?*

§. 4. *contracta?* — Cur corrumpebantur vv. *agite, uti monet ira*, in *agite, uti libet et ita*, tum in *agite et uti libet ita*, ut dederunt Carrio, Weise, alii? Scil. Pomponius Laetus

4 Haec si dolo aut secordia nostra contracta sunt, agite, uti monet ira, supplicium sumite: sin fortuna communis asperior est, quare indigna vobis nobisque et re publica incipitis? Atque ego, cuius aetati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur: neque mox in senio corporis honestius quam pro vestra salute finem vitae fecerim. Adsum en C. Cotta consul; facio quod saepe maiores asperis bellis fecere: voveo dedoque me pro re publica, quam deinde cui mandetis circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quom fortunae et maris et belli ab aliis acti ratio reddunda aut turpiter moriundum sit. Tantummodo in animis habetote non me ob scelus aut avaritiam caesum, sed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse.
5 Per vos, Quirites, et gloriam maiorum, tolerate advorsa et consulite rei publicae! Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores, quos nequidquam abnuitis et pacis opulentiam quaeritis, quom omnes provinciae regna, maria terraeque aspera aut fessa bellis sint.

2. sunt, uti 3. communis fortuna 6. neque mox ingenui corporis (*Codd.* neque mox ingenio corporis. *Mea ex coniectura est:* in senio corporis.)

fortasse err. typogr. *agite uti non et ira*; tum paullo ante illa, *quae commeatus tuebatur* in *quae commeatum convehebat* (Cod. Ursini) et *qua commeatus vehebatur*, ut Aldina, Ascensiana tertia, Carrio, Weise? — Quasnam ob rationes reiiciendae lectiones omnes a nostra coni. *in senio corporis* discrepantes? Scil. *ingenio corporis* Codd. Vaticc. — *ingenuo corpori* Cod. Ursini, Carrio, Weise, alii. — *ingenui corporis* Cortius, construens: *finem fecerim vitae* (dativus) *ingenui corporis.* — *saepe - - fecere?* Quinam isti maiores? Cfr. Cic. Tuscul. 1, 37. de Finn. 2, 19. — Formula devotionis ipsa ubinam reperitur? — *belli acti*, *belli gesti*, *belli ducti* quonam modo differunt?

EPISTOLA CN. POMPEI

AD

SENATUM.

Si advorsus vos patriamque et deos penatis tot la- 1
bores et pericula suscepissem, quotiens a prima adu-
lescentia ductu meo scelestissumi hostes fusi et vobis
salus quaesita est, nihil amplius in absentem me sta-
tuissetis, quam adhuc agitis, Patres conscripti, quem
contra aetatem proiectum ad bellum saevissumum cum
exercitu optume merito, quantum est in vobis, fame,
miserruma omnium morte, confecistis. Hac in spe po-
pulus Romanus liberos suos ad bellum misit? haec
sunt praemia pro volneribus et totiens ob rem publi-
cam fuso sanguine? Fessus scribundo mittundoque le- 2
gatos omnis opes et spes privatas meas consumpsi,
quom interim a vobis per triennium vix annuus sum-
ptus datus est. Per deos immortalis, utrum censetis
me vicem aerari praestare, an exercitum sine frumento
et stipendio habere posse? Equidem fateor me ad hoc 3

§. 1. *tot - - quotiens?* — *contra aetatem?* — *proiectum?* — *Hac in spe?* An *hacine spe?*

§. 2. *vicem aerari praestare?*

§. 3. *quippe qui - - paravi:* cfr. Catil. [illegible]. Iug. 7. 14. 28. 48. 54. 76. 86.: num hoc Tullianum? — Unde orta est interpolatio Edd. aliq.: *novis quidem militibus?* — Quomodo potest defendi lectio Codd. *hiememque castris* a me recepta? Utique Iug. 100. *hiberna - - in oppidis maritumis agere decreverat.* — *ex ambitione mea?* — *Oppida excisa* constanter antiqui, saltem Codices, nunquam *exscissa.* Contra *oppidum exscindere* aeque recte dicitur atque *exsidere.* Cfr. Ochsner Ecl. Cic. p. 300.

bellum maiore studio quam consilio profectum; quippe qui nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi hostisque in cervicibus iam Italiae agentis ab Alpibus in Hispaniam summovi; per eas iter aliud atque Hannibal nobis opportunius patefeci; recepi Galliam, Pyrenaeum, Laletaniam, Indigetis, et primum inpetum Sertorii victoris novis militibus et multo paucioribus sustinui hiememque castris inter saevissumos hostis, non per oppida neque ex ambitione mea egi. Quid deinde proelia aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valet quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta et proelium apud flumen Turiam et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara vobis sunt: pro quis, o grati Patres,
4 egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par condicio est; namque stipendium neutri datur: victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvortatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quae non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus, praeter maritumas civitates, quae ultro nobis sumptui onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit, et nunc malis fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi. Reliqui vos estis; qui nisi subvenitis, invito et praedicente me, exercitus hinc et cum eo omne bellum Hispaniae in Italiam transgredientur.

8. hiememque [illegible] castris 10. dein 13. Durium. (Turiam est e *coniectura VV. DD.*) 16. fainam *err. typogr.*

§. 4. *internecionem, interitionem? vastare regionem ad internecionem, caedere exercitum ad internecionem, — malis fructibus? — agitat? — fidem?*

ORATIO

C. LICINII MACRI TR. PL. AD PL.

Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter ius 1
a maioribus relictum vobis et hoc a Sulla paratum
servitium interesset, multis mihi disserendum fuit docendumque,
quas ob iniurias et quotiens a patribus
armata plebes secessisset utique vindices paravisset
omnis iuris sui tribunos plebei. Nunc hortari modo
relicuum est et ire primum via, qua capessundam arbitror
libertatem. Neque me praeterit, quantas opes 2
nobilitatis solus, inpotens, inani specie magistratus,
pellere dominatione incipiam, quantoque tutius factio
noxiorum agat quam soli innocentes. Sed praeter
spem bonam ex vobis, quae metum vicit, statui certaminis
advorsa pro libertate potiora esse forti viro
quam omnino non certavisse. Quamquam omnes alii 3

1. quod 6. plebis, 7, reliquum

§. 1. *disserendum fuit*] — *fuisset* contra Codd. dedit Aldus avus; secuti sunt alii. — *docendique* Vat. sec. Num defendi potest? — *primum* estne adiectivum an adverbium? Pro adverbio habuit Cortius, „ante omnia." Virg. Georg. 2, 475. *me vero primum dulces ante omnia Musae - - accipiant*; ubi Philargyrius: „primum et ante omnia."

§. 2. *inpotens*] h. l. quid significat? — *quantoque tutius* cet.] Imitatusne haec est Livius 2, 3. *periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentia vivere:?* — *spem bonam* Iugurth. C. 113. Caesar B. C. 2, 5. Contra Pseudocicero post red. in Sen. 5. *quis enim ullam ullius boni spem haberet*, ubi Wolfius de Latinitate dubitabat. Attamen Tacit. Ann. 2, 15. *nulla boni spe.*

§. 3. *per militare nomen?* — Cur *vobismet ipsis*, Cdd.

creati pro iure vestro vim cunctam et imperia sua gratia aut spe aut praemiis in vos convortere meliusque habent mercede delinquere quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere iam in paucorum dominationem, qui per militare nomen aerarium exercitus, regna provincias occupavere et arcem habent ex spoliis vestris: quom interim more pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque praebetis, exuti omnibus, quae maiores reliquere; nisi quia vobismet ipsis per suffragia, uti praesides olim, nunc dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes: et mox, si vestra receperitis, ad vos plerique. Raris enim animus est ad ea, quae placent, defendenda: ceteri validio-
4 rum sunt. An dubium habetis, num officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos secordesque pertimuere? Nisi forte C. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu iura quaedam tribunis plebei restituit; et, quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus mussantibus vobis circumventus erat, tamen prius illi invidiam me-
5 tuere, quam vos iniuriae pertaesum est. Quod ego nequeo satis mirari, Quirites; nam spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis. Ortus est longe saevior Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Mamerco consulibus; dein C. Curio ad exitium usque in-

9. ipsi 11. illic 12. plerique: (raris - - - defendenda) cetera
14. ne obficere 25. et Aemilio Mamerco

lectio, praeferri debebat alteri Edd. vett. admodum vendibili *vobismet ipsi?* — *ad vos plerique*] Cur interpolarunt nonnulli *ad vos redibunt plerique?*

§. 4. *dubium habere num*, *ne?* — *ex factione media?* — *circumventus* Catil. 31.

§. 5. *agebantur* Codd.; contra Edd. aliq. *agerentur:?* — *praesertim quum* et *quum praesertim* (Cod. Turic. Einsiedl.), uti cum Kritzio leg. est Cat. 51, §. 19. pro *quum praesenti.* — *dominatione in vobis:* Quidni *in vos?* ut in Lepidi Orat. §. 2. *dominationis in vos servitium suum mercedem dant.* Cfr. tamen Catil. 8. *fortuna in omni re dominatur.*

sontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis; quantae denique nunc mihi turbae concitantur! quae profecto incassum agebantur, si prius quam vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant: praesertim quom his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrinque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia 6
aut odio aut avaritia in tempus arsere: permansit una res modo, quae utrinque quaesita est et erepta in posterum, vis tribunicia, telum a maioribus libertati paratum. Quod ego vos moneo quaesoque ut animadvortatis, neu nomina rerum ad ignaviam mutantes otium pro servitio appelletis. Quo iam ipso frui, si vera et honesta flagitium superaverit, non est condicio: fuisset, si omnino quiessetis. Nunc animum advortere et, nisi viceritis, quoniam omnis iniuria probitate tutior est, artius habebunt. Quid censes igitur? 7
aliquis vestrum subiecerit. Primum omnium amittundum morem hunc, quem agitis; inpigrae linguae, animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis. Dein (ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei modo, patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vestri paravere;) quum vis omnis, Quirites, in vobis sit et quae iussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere

2. L. Quinctium 4. agerentur 15. animum advortite 16. iniuria gravitate (probitate *e coniectura mea est.*) 18. omittendum 22. quo tribunos plebi, modo patricium 24. uti, quae iussa

§. 6. *in tempus?* — *ad ignaviam?* Ad sententiam cfr. Catil. 52. — *animum advortere?* — *probitate*] — *gravitate* Codd. omnes. Num defendi potest?

§. 7. Num suspecta vv. *aliquis vestrum subiecerit?* Cfr. Iugurthae 31. *Dicet aliquis: quid igitur censes?* — *amittundum* cum Arusiano s. Pseudofrontone, an *omittundum* cum Codd.? — *inpigrae linguae* quinam casus? — *tribunos plebei modo* cet. quomodo haec explicanda et vindicanda? — *alius quis*, *quis alius*, *aliquis*. — *patrum decreta*)(*Senatus consulta ?*

certe possitis, Iovem aut alium quem deum consultorem exspectatis? Magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis, Quirites, ultroque licentiam in vos auctum atque adiutum pro-
8 peratis. Neque ego vos ultum iniurias hortor; magis uti requiem cupiatis; neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens, iure gentium res repeto et, si pertinaciter retinebunt, non arma neque secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum praebeatis, censebo. Gerant habeantque suo modo imperia; quaerant triumphos; Mithridatem, Sertorium et reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis. Absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est! Nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur: qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestumavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Namque, uti illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires; sic neque absolvit cura familiari tam parva res, et ignavi cuiusque tenuissimas spes frustratur; qua tamen quamvis ampla, quoniam serviti pretium ostentaretur, cuius torpedinis erat decipi et vestrarum rerum ultro iniuria gratiam debere? Namque alio modo neque valent in universos neque
9 conabuntur. Cavendus dolus est. Itaque simul com-

1. possitis. Iovem - - - exspectatis: magna 10. censeo 17. ut illis 19. et ignavus quisque tenuissima spe frustrantur. quae tamen

§. 8. *ultum hortor*? — *requiem* et *requietem*. — *iure gentium res repeto*] Quomodo hac uti potuit formula? — *Clarigatio*. — *persequantur cum imaginibus suis*] Quomodo amara haec *εἰρωνεία* explicanda? — Cur praeferenda videtur lectio a nobis recepta *ignavi - - frustratur*? — Aliorum *frustrantur* quomodo explicandum esset? Theses: 1) Prorsus necessarium non est *ignavissumi cuiusque*; ut habent aliq. Edd. interpolatae. 2) *quasque tenuissimas*, omnino reiiciendum foret. 3) Probabilis est Faërni emendatio: *qua tamen* pro Codd. *quae tamen*. — *vestrarum rerum* cet.] Quomodo haec interpretanda? Modeste iudicato de summi Gronovii coniectura: *et vestra munerantibus pro iniuria gratiam debere*.

§. 9. Cur reiicienda lectio Ed. Ven. 1500.: *Cavendus*

parant delenimenta et differunt vos in adventum Cn. Pompei; quem ipsum, ubi pertimuere, sublatum in cervices suas, mox dempto metu lacerant. Neque eos pudet, vindices, uti se ferunt, libertatis, tot viros sine uno aut remittere iniuriam non audere aut ius non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium, tantae gloriae adulescentem, malle principem volentibus vobis esse, quam illis dominationis socium, auctoremque in primis fore tribuniciae potestatis.

Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, **10**
non in uno cuncti praesidia habebatis, neque mortalium quisquam dare aut eripere talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est: neque enim ignorantia res claudit. Verum occupavit nescio qua vos torpedo, qua non gloria movemini neque flagitio, cunctaque praesenti ignavia mutavistis, abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur et huc ire licet atque illuc, munera ditium dominorum, atque haec eadem non sunt agrestibus, sed caeduntur inter potentium inimicitias donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur et vincitur paucis: plebes, quodcunque accidit, pro victis est et in dies magis erit; si quidem maiore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

15. nescio quae 17. mutastis 18. et illuc 19. dominorum. Atque

tamen dolus est? — *sublatum in cervices suas:* unde sumptum hoc tralatum? Num recta est Cortii interpretatio: „Quando praesens est cum imperio et exercitu, tunc timent." —? Vide ne explicandum potius sit e proprio illo Iuvenalis 9, 143. -- *duo fortes De grege Moesorum, qui me cervice locata Securum iubeant clamoso insistere circo.*

§. 10. *res claudit.* Hoc, quod mirere, etiam Tullianum. Orat. §. 170. Brut. §. 214. Rursus Frontonianum, (Ed. Rom. p. 239. et 243.) id quod mirum non est. — *mutavistis* h. l.? — *abunde rati munera*, an *munere* cum aliis? — *agrestibus?* — *vincitur paucis*, an cum aliis, etiam Weisio, *a paucis*? — *plebes* - - *pro victis*, an *pro victa est?* Hanc Io. Britannici (1495) non Cdd. neque Pomponii Laeti 1490. lectionem rursus praetulit Weise.

EPISTOLA
MITHRIDATIS.

Rex Mithridates regi Arsaci S.

1 Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societa-
tem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem
agere, dein, quod quaesitur, satisne pium tutum glo-
riosum, an indecorum sit. Tibi si perpetua pace frui
licet, nisi hostes opportuni et scelestissumi, egregia
fama, si Romanos oppresseris, futura est, neque pe-
tere audeam societatem et frustra mala mea cum tuis
2 bonis misceri sperem. Atque ea, quae te morari
posse videntur, ira in Tigranem recentis belli et meae
res parum prosperae, si vera existumare voles, ma-
xume hortabuntur. Ille enim obnoxius qualem tu vo-
les societatem accipiet; mihi fortuna, multis rebus
ereptis, usum dedit bene suadendi; et, quod florenti-
bus optabile est, ego non validissumus praebeo exem-
plum, quo rectius tua componas. Namque Romanis
cum nationibus populis regibus cunctis una et ea vetus

3. quaeritur 5. sceleratissumi 8. Atqui

§. 1. *quaesitur*] Phocas Putschii p. 1718. *Quaeso*, primam personam habet indicativi modi dumtaxat, licet *quaesere* lectum sit apud Salustium et Tullium (in Arateis v. 252.) Tum Salustius Hist. Lib. 1. Fragm. 17. p. 219. Gerl. *Curionem quaesivit* (rogavit), *uti adulescentior et populi suffragiis integer, aetati concederet Mamerci.* — *hostes opportuni?*

§. 2. *obnoxius?* — *cupido profunda?* — Quid iudicandum de hoc Cortii iudicio: „*tracto* fortasse non mutandum, ut significet Romanos Philippum tandem in societatem traxisse, eiusque opera vicisse Antiochum. Liv. 39, 28.; id causae et consilio Mithridatis magis servire videtur:" — ?

caussa bellandi est cupido profunda imperii et divitia-
rum, qua primo cum rege Macedonum Philippo bel-
lum sumpsere. Dum a Karthaginiensibus premebantur,
amicitiam simulantes ei subvenientem Antiochum con-
cessione Asiae per dolum avortere; ac mox fracto
Philippo Antiochus omni cis Taurum agro et decem
milibus talentorum spoliatus est. Persen deinde, Phi- 3
lippi filium, post multa et varia certamina apud Sa-
mothracas deos acceptum in fidem callidi et reperto-
res perfidiae, quia pacto vitam dederant, insomniis
occidere. Eumenem, cuius amicitiam gloriose osten-
tant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post,
habitum custodiae agri captivi, sumptibus et contu-
meliis ex rege miserrumum servorum effecere, simu-
latoque inpio testamento, filium eius Aristonicum,
quia patrium regnum petiverat, hostium more per
triumphum duxere; Asia ab ipsis obsessa est; postre-
mo Bithyniam, Nicomede mortuo, diripuere, quum
filius Nysa, quam reginam appellaverat, genitus haud
dubie esset. Nam quid ego me appellem? quem di- 4
iunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum,
quia fama erat divitem neque serviturum esse, per
Nicomedem bello lacessiverunt, sceleris eorum haud
ignarum et ea, quae accidere, testatum antea, Cre-
tensis, solos omnium liberos ea tempestate, et regem
Ptolemaeum. Atque ego ultus iniurias Nicomedem

2. primum 5. tracto 13. post Attalum custodem agri 18. postremo totam Bithyniam 19. Nusa, quam reginam adpellaverant 21. disiunctum

§. 3. *Samothraces Dei?* — *pacto vitam dederant:* Liv. 45, 5. — Cur prorsus falsa interpolatio: *post Attalum, custodem agri captivi?*

§. 4. *et ea, quae accidere, testatum antea Cretensis*] Inestne in his tanta difficultas, quantam in iis reperisse sibi visus est Cortius? „Qui sensus, inquit, inde posset erui, nemo dixit. Quare si ego silentio involvam, non erit vitium meum." Quaenam constructiones comparandae? — *postremus servorum?* — *abstinuit?* — Quomodo explicanda illa: *pretio in dies bellum prolatans?* cfr. Catil. 43, *dies prolatando.*

Bithynia expuli Asiamque spolium regis Antiochi recepi et Graeciae dempsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus exercitu prodito inpedivit: illique, quos ignavia aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas poenas solvunt, Ptolemaeus pretio in dies bellum prolatans, Cretenses inpugnati semel iam ne-
5 que finem nisi excidio habituri. Equidem quom mihi ob ipsorum interna mala dilata proelia magis quam pacem datam intellegerem, abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum coepi Marcumque Cottam, Romanum ducem, apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidio moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente; simul hiems mari prohibebat. Ita, sine vi hostium regredi conatus in patrium regnum, naufragiis apud Parium et Heracleam militum optumos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Caberam exercitu et variis inter me atque Lucullum proeliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego, vastis circum omnibus locis in Armeniam concessi: secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvortundi, quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, inprudentiam Tigranis pro victoria ostentant.
6 Nunc quaeso considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum

6. pretio [dies] bellum 12. cepi 17. coactus 20. Cabira

§. 5. *bellum coepi* an *cepi?* Iug. 62. *quum primum deditio coepit.* (Ib. *de integro bellum sumit.*) Ib. 66. *omissa deditione bellum incipit.* Ib. 70. *deditionem - - - inceperat.* — *in obsidio*] Alii, etiam Weise: *in obsidione* contra Codd. — *nullo circum adnitente?* — Cur falsa lectio Aldina *coactus* et propter externa et propter interna argumenta?

§. 6. Asper apud Charisium p. 177. Putschii: „*Ceterum* quomodo positum est, pro *alioquin consilium est*, an pro

putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse; et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Ceterum consilium est Tigranis, regno integro, meis militibus procul ab domo, parvo labore per nostra corpora bellum conficere, quo neque vincere neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convortisse? neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum coniuges, agros imperium? convenas olim sine patria, parentibus, peste conditos orbis terrarum: quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios amicos, procul iuxta sitos, inopes potentisque trahant exscindant, omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant. Namque pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt: nos suspecti sumus aemuli et in tempore vindices adfuturi. Tu 7
vero, cui Seleucea, maxuma urbium, regnumque Persidis inclitis divitiis est, quid ab illis nisi dolum in praesens et postea bellum exspectas? Romani arma in omnis habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt, audendo et fallendo et bella ex bel-

4. meis militibus [belli prudentibus], procul 6. quomodo neque 11. sine parentibus 14. excidant 18. Seleucia

reliquum consilium est? Iungendumne *consilium est Tigranis, integro regno;* an *consilium est, Tigranis integro regno?* — *meis militibus belli prudentibus* affert Charisius: glossema Criticis videtur. Quamnam ob rationem inculcatum est? et unde? — *parentibus*] Probabilisne est Cortii interpretatio: = *subditis?* Cfr. Catil. 6. *patriam parentesque*, ubi rursus explicavit *subiectos*. — Probabilis videtur Douzae coniectura: *pesti conditos;* dativi et ablativi tertiae decl. saepe confunduntur, veluti Pseudosal. ad Caes. 2, 8: *ut ex confusis quinque classibus sorti centuriae vocarentur*, Vatic. recte *sorte*. Sic pro *sermone assuefactus* apud Cic. Brut. c. 59. Wunderus proposuit *sermoni* cet. — Cur *iuxta* cum Codd., non *iuxtaque* cum Aldo? Cur *trahant exscindant*, non *excindantque?*

§. 7. Num necessaria Faërni emendatio *inclitum divitiis?* Cfr. Catil. 47. — *in praesens*, *in praesentia*, *in praesenti*, *in praesentiarum* — (adde Lexicis Minucii Felicis *Octavii* c.

lis serendo magni facti. Per hunc morem exstinguent omnia aut occident: quod haud difficile est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna aut nostris vitiis adhuc incolumem. Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo hortorque; neu malis pernicie nostra tuam prolatare quam societate victor fieri.

5. *in praesentiarum tamen ita tibi informandus est animus;* de qua lect. Iac. Gronovius immerito subdubitabat.) — *occident?*

SCHOLIA

IN ORATIONEM LEPIDI CONS. AD P. R.

Anni DCLXXVI. u. c. consules M. Aemilius Lepidus, Q. Lutatius Catulus.

Hoc anno Sulla (dictaturâ quum anno ante se abdicasset) in Cumano decessit honosque ei a senatu est habitus, ut in Campo Martio sepeliretur. Tum M. Aemilius Lepidus consul, qui iam antea plebem ad recuperandam libertatem accendisset (velut hac ipsa concione, vivo etiam tunc Sulla) Sullae funus frustra disturbare conatus, acta eius rescindere paravit. Cuius conatis quum alter consul Catulus obviam iret, senatus metuens, ne ex studiis civilibus novum bellum oriretur, consules iure iurando obstrinxit, armis inter se non esse certaturos. Praeterea provincias sortiri et decretis exercitibus maturrime proficisci iussit; Catulo Italia, Lepido Gallia Transalpina obvenit.

Qui quum in Etruria subsisteret, proscriptos revocaret et bellum civile moveret, a senatu ad comitia consularia habenda revocatus cum exercitu Romam contendit. Igitur a Catulo lex Plautia de vi relata et multa severius sancita sunt. Simul Ianiculum et pons Mulvius praesidiis occupatus et exercitus, Catulo et Pompeio ducibus, hosti obviam ductus est. A quibus primo statim impetu retro pulsus Lepidus in Etruriam recessit. Sed quum Gallia Cisalpina a M. Bruto, eius legato, praesidiis teneretur, Pompeius cum exercitu eo missus reliquam provinciam facili negotio pacavit et Mutinam urbem, quo hostium dux confugerat, obsidione clausit. Quae dum geruntur, Lepidus in Etruria novos delectus habuit et bellum reparavit.

Anni DCLXXVII. u. c. consules D. Iunius Brutus Mamercus, M. Aemilius Lepidus Livianus.

Quum res propter discordias civiles ad interregnum redisset, consules serius creati sunt. Lepidus, pro consule, exercitu reparato, iterum urbi bellum inferre paravit, ubi graves contentiones inter factionem nobilium et populares, qui dicebantur, homines exarserant.

Sed vicit sententia L. Marcii Philippi, (consul qui fuerat a. u. c. DCLXIII.); Lepidus enim hostis a senatu iudicatus et S. C. factum, ut App. Claudius interrex cum Q. Catulo pro consule et ceteris, quibus imperium esset, urbi praesidio esset operamque daret, ne quid res publica detrimenti caperet. Interea D. Brutus Mutinae obsessus in deditionem venerat. Lepidus autem ne tum quidem patriae bellum facere omisit et, iterum proelio victus, Cosam, maritimam Etruriae urbem, se recepit. Unde paullo post in Sardiniam transgressus et gravi morbo oppressus obiit. Ex Gerlachio.

§. 2. *Brutorum*] sequentis anni (677.) consulem significat D. Iunium Brutum, de quo cfr. Cic. Brut. 47. pro Rabir. 7. ad Att. 12, 22. — *Aemiliorum*] Etiam h. l. consulem designatum significare videtur, Mamercum Aemilium Lepidum Livianum, patruelem suum, quem ob nimiam parsimoniam notat Cic. de Offic. 2, 17.; nam propter avaritiae suspicionem repulsam in consulatu petendo tulerat. — *Lutatiorum*] Collegam intelligit, Q. Lutatium Catulum, clarissimi patris filium, in cuius laudibus celebrandis multus est Cicero in Maniliana aliisque locis. Gerlach.

§. 3. *scaevus iste Romulus*] Servius ad Virg. Ecl. 3, 13. „*perverse Menalca*]" aut converse ad turpitudinem, aut intelligamus quendam fuisse Menalcam nobilem, ut istum *perversum Menalcam* dixerit illius comparatione. Sic Salustius: „*Scaevus iste Romulus.*" — Plerique Cdd. quidem et Lion *saevus*: sed manifestum est Servium in suo Histor. codice reperisse *scaevus*, ut habent Vat. 1. et 3. Est „alter veluti Romulus, novi regni ipse quoque conditor, sed perversus atque infaustus (non, ut sese nominat, *felix*), Romulus quum fuerit vere magnus parensque huius imperii semper celebrandus." Or. — *consulum*] „Quum alii multi, tum Carbo, Marius, Norbanus *consules*, civili bello absumpti, unde manifestum est lect. *consulis* esse improbandam." Gerlach. — Tam mira est lectio Cdd. optt. (Vatic. primi et tertii) *post memoriam humani*, ut mero errori pro *hominum* tribui vix queat. Immo *hominum* arbitraria videtur correctio, casuque potius excidit *generis*. Inest etiam κακοφωνία in his *omnium* - - *hominum* sic collocatis. Or. — *in post futuros*] cfr. Catil. 37. Quintil. 11, 1, 85. „*Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit. Quid enim crudelius* quam, homines honestis parentibus a re publica summoveri? *Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur; sed ita legibus Sullae cohaerere statum civitatis affirmat, ut iis solutis stare ipsa non possit. Assecutus itaque est, ut aliquid eorum quoque causa videretur facere contra quos diceret.* Velleius 2, 28. *Adiectum etiam, ut bona proscriptorum venirent, exclusique paternis opibus liberi etiam petendorum honorum*

iure prohiberentur, *et*, *quod indignissimum est*, *senatorum filii et onera ordinis sustinerent et iura perderent.*" Ex Gerlachio.

§. 4. *penes illos*] „Haec librorum lectio, quam editores corruperunt et *illum* emendarunt, nescii nobilium causam et Sullae dominationem saepius a Lepido unam eandemque dici, et vere fuit." Gerlach. — *retinendae dominationis*] Cfr. inprimis Boetticheri *Lex. Tacit.* p. 247., collatis, quae de dativi haud dissimili usu (Ann. 2, 16. *augendae dominationi certare*, Hist. 3, 20. *cetera expugnandis urbibus*) disputat p. 142. Or.

§. 5. *ne servilia quidem alimenta*] quinos farris seu frumenti modios in singulos menses intellige. Seneca Ep. 80. *servus est; quinque modios accipit.* Infra in Orat. Licinii: *quinis modiis libertatem omnium aestumavere.* Donatus ad Terentii Phorm. 1, 1, 9. *Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem et id dimensum* (al. *demensum*) *dicebatur.* Hoc non erat, quod emendarent interpretes; fieri enim potuit, ut alio tempore alia frumenti mensura daretur. Gerlach.

§. 6. *Sociorum* cet.] Appianus B. C. 1, 96. πολλὴ δὲ καὶ τῶν Ἰταλιωτῶν ἀναίρεσίς τε καὶ ἐξέλασις καὶ δήμευσις ἦν, ὅσοι τι Κάρβωνος ἢ Νωρβάνου ἢ Μαρίου - - ὑπήκουσαν. — ἐκόλαζε δ Σύλλας καὶ τὰς πόλεις, τῶν μὲν ἀκροπόλεις κατασκάπτων ἢ τείχη καθαιρῶν ἢ κοινὰς ζημίας ἐπιτιθεὶς ἢ εἰςφοραῖς ἐκτρύχων βαρυτάταις· ταῖς δὲ πλείοσι τοὺς ἑαυτῷ στρατευσαμένους ἐπῴκιζεν ὡς ἕξων φρούρια κατὰ τῆς Ἰταλίας· τήν τε γῆν αὐτῶν καὶ τὰ οἰκήματα ἐς τούςδε μεταφέρων διεμέριζεν. — *humanas hostias*] „Pertinet hoc ad Marium Gratidianum, quem ad Catuli sepulchrum pertractum, effossis oculis, manibus cruribusque minutatim desectis vel etiam fractis, servatum aliquamdiu, ut per singula membra moreretur, Catilina ad extremum trucidavit. Catil. 5. Val. Max. 9, 2, 1. Lucan. *Phars.* 2, 173. Orosius 5, 21." Gerlach. — *Leges iudicia*] Iug. 31. *regna provinciae*, *leges iura iudicia*, *bella atque paces*, *postremo divina et humana omnia penes paucos erant.*

§. 7. *Vettius Picens*] Sullae satelles, ille videtur Vettius, a quo villam, quae Catuli fuerat, emit Cicero (Attic. 4, 5, 2. et 6, 1, 15.) An idem sit, quem pro Caelio 30. stupratorem Clodiae dicit, haud prorsus certum est. De scriba Cornelio cfr. Cic. Offic. 2, 8, 29. *Nec vero unquam bellorum civilium semen et causa deerit*, *dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt; quam P. Sulla quum vibrasset dictatore propinquo suo*, *idem sexto tricesimo anno post a sceleratiore hasta non recessit; alter autem*, *qui in illa dictatura scriba fuerat*, *in hac fuit quaestor urbanus.*

§. 8. *quam raptum* cet.] Corrupta haec eo difficiliorem habent explicationem, quod plerique interpretes *quam* pro parti-

cula habuerunt respondente v. *ante*. Nusquam autem hac verbi *antecapere* utitur constructione Salustius. Ego vero illa sic interpretor: „ne, alius alium principem ulciscendi Sullae exspectantes, ante capiamini, quam reapse talis exsistat ultor dominationis:" *quam* contra mihi est pronomen, ita, ut suspicio mea, in hac scholastica editione recepta: *quam raptum ire licet ei*, *quem haud pudeat* cet. ita sit exponenda: quam secordiam raptum ire, opprimere impune licet homini, qualis Sulla est, quem etsi propriis opibus ac virtute destitutum haud pudeat videri dumtaxat, non esse felicem; quique fortuna sua ad patriam evertendam abutitur. *EI* et *ET* sexcenties confundi tralatitium est: facileque e vv. *QUEMHAUDPUDEAT* propter similes ductus fieri poterat *quam audeat*, praesertim praecedente altero *quam*. Verba autem *pudendi pigendi poenitendi* saepe in primis apud Livium cum part. *haud* construuntur. *Raptum* vero retinendum nec scribendum *captum*. Cfr. Livii 6, 23, 5. *qui castra urbesque primo impetu rapere sit solitus;* ibique Drak. Ac per se putidum esset v. *captum* post superius *capiamini*. Vulgatam sic interpretatus est Dureau de Lamalle: *Je crains qu'à force d'attendre que l'un ou l'autre de vous commence, vous ne lui donniez le temps de se prévaloir, non de ses forces qui ne sont plus qu'un vain épouvantail, mais de votre lâche indolence; trop heureux qu'elle lui facilite les moyens de vous prévenir et de justifier ainsi le surnom qu'il s'arroge.* Burnouf sic interpretari conatus est vulgatam (scil. Cortianam *captum' ire.*): „Vereor ne . . . . *vos* ante capiamini, *quam ille capiatur*; *atqui iam licet vobis eum* captum ire, et *tunc eum* videri tam felicem, quam audeat, *sive*, *quam audax sit*; lusus in cognomine *felicis;* quasi dicat: Sulla *se felicem* dici vult; licet vobis eum sic *felicem* reddere, ut sua audacia esse promeruit." Sed hanc quoque explicationem respuit ipsa Latinitas. Or.

§. 9. *Fufidius*] „eo auctore (Floro 3, 21. et Orosio 5, 21. testibus) Sulla proscriptionis tabulam proposuerat." Gerlach. — *iudicia*] pertinet ad iudicia a Sulla ad Senatum translata, quum a Gracchis equitibus tradita essent. Gerlach. — *penes paucos intellegerint*] Sententia ipsa imperiose requirit aut praesens, *quum relegati* - - nunc *intellegant*, qua mercede pro Sulla eiusque dominatione pugnarint; aut, quod praestat, *quum relegati* - - iamiam *intellexerint;* neutiquam vero locum habet *quum relegati* - - *intellegerent*, scilicet eodem tempore, quo arma pro Sulla ceperant; id quod absurdum est propter ipsum v. *relegati*. Quocirca, quum Cod. omnium optimus Vat. 1. offerret antiquam perfecti formam *intellegerint*, hanc ipsam recepi, etsi facile mutaturus in solitam *intellexerint;* quia fieri potuit, ut hoc et similia per antiquarios inferrentur. Favet analogia v. *neglegisset* Iug. Cap. 40., uti Basil. 1. Paris. duo. Medic. 1. exhibent (non tamen Turic. neque Einsiedl.) item Diomedes 1. p. 366. P. *negligo*,

neglexi, sed Aemilius Macer *Omnium nostrum neglegerit auctoritatem.* (collato Prisc. L. 10. p. 895. P.) Or.

§. 10. *incedit*] Iugurtha 31. *incedunt per ora vestra magnifici.* — Etiam apud Cic., sicubi etiam nunc legitur *labefactatus*, meliores Cdd. ferme praebent *labefactus.* (Cato §. 20.) — Seneca Rhetor Controvers. 4, 24. *Arellius Fuscus retulit quandam Thucydidis sententiam*: δειναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα· *deinde Salustianum* Res secundae mire sunt vitiis obtentui. *Quum sit praecipua in Thucydide virtus brevitatis, hac eum Salustius vicit et in suis illum castris cecidit. Nam in sententia Graeca tam brevi habes, quae salvo sensu detrahas: deme vel* συγκρύψαι *vel* συσκιάσαι, *deme* ἑκάστων· *constabit sensus, etiam si non aeque comptus, aeque tamen integer. At ex Salustii sententia nihil demi sine detrimento sensus potest.* Memoriter, ut solebant veteres, locum attulit; nam et Demosthenis est, non Thucydidis, et verba ipsa differunt aliquantum: Olynth. 2, 20. αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη. et Pseudodemosth. in or. ad ep. Philippi 13. αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰς ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων εἰσίν. — *nisi forte specie*] Recte Cortius: „supple: ex superioribus *tanto agmine atque animis incedit.*" Hoc abrupto dicendi genere vehementissimus animi impetus, qui in Lepido erat, optime exprimitur. Gerlach. Dureau de Lamalle: *Il est visible, que le texte est tronqué; il y manque un mot, comme* expiamini. (Debebat saltem proponere: *placamini, conciliamini;* vel etiam *decipimini.*) Sed verum vidit Cortius. Or.

§. 11. *pax et composita*] Sic Vatic. sec. Vat. meus. (De ceteris Codd., in primis Vatic. primo, haud satis constat.) Edd. meae veteres, ante Aldinam MDIX. Recepi hanc lectionem et quia per se difficilior est, et quia similiter verbo controverso usus est Pseudosalustius Ep. ad Caes. 1, 5, 6. *movet composita;* quocum cfr. Catil. 21. *illis quieta movere magna merces videbatur.* — *concordia* Aldina. Seqq. — *ad rem publicam suamet sanguinis mercede circumveniundam*] Audacius hoc primo adspectu videtur tralatum. Sic tamen edendum fuit, quum ita habeat Vat. etiam meus atque e Vatic. pr. et sec. afferatur saltem *rem publicam*, vulgata autem *ad populum Romanum* - - *circumveniundum* nonnisi e correctione corruptelae Aldinae *ad Romanum populum suimet sanguinis mercedem circumveniendam* (sic) orta sit.

§. 12. *opes facere*] Seneca Ep. 114. „Salustio vigente, amputatae sententiae et verba ante exspectatum cadentia et obscura brevitas fuere pro cultu. Arruntius, vir rarae frugalitatis, qui *Historias belli Punici* scripsit, fuit Salustianus et in illud genus nitens. Est apud Salustium: *exercitum argento fecit*, id est, pecunia paravit. Hoc Arruntius amare coepit; posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco: *fugam nostris fecere.* Alio loco: *Hiero, rex Syracusanorum, bel-*

lum fecit. Et alio loco: *quae audita Panormitanos dedere Romanis fecere.* Gustum tibi dare volui; totus his contexitur liber. Quae apud Salustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt et paene continua; nec sine causa: ille enim in haec incidebat, at hic illa quaerebat. Vides autem, quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Salustius: *aquis hiemantibus.* Arruntius *in primo libro belli Punici* ait: *repente hiemavit tempestas.* Et alio loco, quum dicere vellet frigidum annum fuisse, ait: *totus hiemavit annus.* Et alio loco: *inde sexaginta onerarias leves praeter militem et necessarios nautarum hiemante aquilone misit.* Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco dicit Salustius: *inter arma civilia aequi bonique famas petit.* Arruntius non temperavit, quo minus *primo* statim *libro* poneret: *ingentes esse famas de Regulo.*

IN ORATIONEM L. PHILIPPI IN SENATU.

§. 1. De L. Marcio Philippo, consule a. u. c. 663. optimatium partes in primis semper secuto, optime disputavit Ellendt *Proleg. ad Cic. Brutum* p. LXXVII. seqq. Cic. ipse in Bruto §. 173. *Duobus summis oratoribus L. Crasso et M. Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo tamen intervallo proximus. – – Sed tamen erant ea in Philippo, quae, qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret; summa libertas in oratione, multae facetiae; satis creber in reperiundis, solutus in explicandis sententiis; erat etiam in primis, ut temporibus illis, Graecis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus.*

§. 3. *indigni re publica habiti*] Adeo contemptim tractantur a Lepido, ut dictis factisque demonstret eos a se indignos haberi, qui rei publicae praesint publicaque negotia gerant, nihilque aliud sibi propositum esse, nisi ut rerum potitus, eos praedae loco habeat. Or. — *Etruriam coniurare*] refertur potissimum ad delectus a Lepido habitos per Etruriam, impensis odiis flagrantem adversus Sullanas partes, ob damna, quibus a Sulla affecta fuerat.

§. 4. Blandiebatur primo aspectu Faërn. *ignoscendo populum Romanum magnitudinem auxisse;* ne verbum contra reliquam Salustii consuetudinem *intransitive*, ut aiunt, interpretandum esset: verum displicet duplex accusativus et requiri tum videretur *magnitudinem suam.*

§. 5. *nunc est pro consule*] Ad usum loquendi cfr. hoc Sertorii dictum: *Pompeium, hoc est, illum Romanorum ducem, a se fuisse victum gloriatus est, quem magna praedi-*

tum fiducia ad hoc bellum non pro consule, *sed* pro consulibus *Roma misisset.* Orosius 5, 23. p. 356. Hav. — L. Appuleius Saturninus Trib. pl. „seditiosorum post Gracchos eloquentissimus" (Cic. Brut. 62.) quem C. Rabirius (defensus propterea a Cicerone consule a. u. c. 691.) res novas molientem interfecit a. u. c. 654. — P. Sulpicius Rufus Trib. pl. a. u. c. 666. „grandis, et ut ita dicam, tragicus orator." (Cic. Brut. C. 55.) illustratus accusatione C. Norbani, a Sulla eiectus. — „(L. Iunius) Damasippus praetor Domitium consularem Scaevolam Mucium, pontificem maximum et divini humanique iuris auctorem celeberrimum et C. Carbonem, praetorium, et Antistium, aedilicium, velut faventes Sullae partibus in curia Hostilia trucidavit." (a. u. c. 672.) Velleius 2, 26.

§. 6. *Hispaniae armis sollicitae*] propter Sertorianum bellum.

§. 7. *exercitu rursus admoto*] Scil. Lepidus iam priore anno exercitum contra Urbem duxerat. Gerlach.

§. 8. *Lepidi mandata*] Scilicet Lepidus haud dubie legatos Romam miserat, qui pacis condiciones senatui populoque Romano proponerent et de legibus Corneliis abrogandis agerent. Gerlach. — *quibus ademptam negat*] Perversitas Lepidi in eo cernitur, quod novas turbas maxime per Etruriam concitaturus, id a populo Ro. postulat, ut civitas confirmetur municipiis Etruscis, quibus adempta erat legibus Corneliis, quas tamen ipsas leges iamdudum ratas non habuerat ille, ideoque ex animi eius sententia minime opus erat, ut Etruscis denuo confirmaretur civitatis ius. Cfr. Pseudociceronem pro Domo §. 79. *Populus Romanus, L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit; ademit iisdem agros; de agris ratum est; fuit enim populi potestas: de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt* cet.

§. 9. *quasi primum reddideris*] Neque sollemniter se consulatu abdicaverat (s. consulatum eiuraverat, deposuerat) quod moris erat, atque etiam tum, nullis consulibus creatis, ius et potestatem consulis usurpabat. Gerlach. Fuit, quum suspicarer ante litt. *pr.* excidisse *P. R.* i. e. *quasi populo Romano primum reddideris.* Videant acutiores.

§. 10. *praesidia deducta*] minime significat *distributa*, ut videbatur Cortio, etsi rectiorem interpretationem ipse postea indicavit his verbis: „Apud Ciceronem, Iustinum, alios," (Caesarem maxime et Livium; Cfr. Lib. 25, 25. ibique exempla a Drakenborchio collecta:) valet deducere ex urbibus. Or.

§. 11. *decus ordinis huius interiit*] Cn. Octavius consul (a. u. c. 667.) L. Merula P. M., C. et L. Iulii Caesares, L. Crassus et M. Antonius, oratores nobilissimi. Cfr. Gerlachium. Miram per ἀβλεψίαν Weise reduxit interpolationem Cdd. vett.: *decus atque ordines omnes interierunt.* — *Cethegi*] P. Cethegus, postea praetor a. u. c. 680. Cicero Paradox.

5, 3. *Quid? iam illa cupiditas, quae videtur esse liberalior honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens! Cethego, homini non probatissimo, servire coëgit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur; munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique supplicare.* (Tangit in primis L. Lucullum.) — *collecta*] Recte Burnouf: „Vires, quas sibi per senatus secordiam Lepidus paravit, brevi dilabentur."

IN ORATIONEM C. COTTAE.

C. Aurelius Cotta, paucis diebus post mortem L. Crassi oratoris depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate (Cic. de Orat. 3, 3.) Eius reditus commemoratur Cic. Brut. 90. eundem in libris de Oratore loquentem inductum esse satis constat. „Homo disertissimus nostrae civitatis" dicitur pro Caecina c. 33. De eius genere dicendi confer Cic. Brut. Cap. 55. — Consul fuit cum L. Octavio a. u. c. 679., quo in urbe et propter annonae caritatem et propter aerarii angustias tumultuatum est. Ad plebis iram placandam Cotta frustra piaculi loco vitam hac oratione obtulit; quam ad tertium librum Historiarum pertinere nullum est dubium. GERLACH.

§. 1. *neque decretis labos*] Mire haec interpretatus est Dureau de Lamalle: *Dans toutes ces crises, ni l'activité ne m'a manqué pour prévenir le malheur, ni la constance pour m'y résigner.* Falsa etiam Weisii interpretatio: — „neque peperci labori, quo vestra decreta perficerem." Recte BURNOUF: „In asperis negotiis neque animus ad fortiter decernendum defuit; neque ad exsequendum labor (assiduitas et constantia) ubi quid decrevissem." In seqq. mihi quidem *malae secundaeque res* videtur *subiectum*, quod dicunt, propositionis, *opes, non ingenium* vero *obiectum;* sic necessarium non est *mutabant* pro verbo neutro habere, ut ii fecerunt, quibus *opes, non ingenium* itidem nominativi sunt. OR.

§. 2. *quis victus*] Videtur Cotta causam nobilium contra Saturnini et Sulpicii insaniam defendisse, quibus saepius opponitur. Cfr. Cic. Brut. 57. 59. 63. GERLACH.

§. 3. *imperatores*] Q. Metellus Pius et Cn. Pompeius. — *Sertorii per montis fuga*] contemptim dicta haec de belli gerendi ratione, qua Sertorius Romanos duces fatigabat; idem *latrocinium* dicebant. GERLACH. — *Macedonia plena hostium*] „Macedonicum bellum Ap. Claudius Pulcher (consul a. u. c. 675.) sortitus, varias gentes (Thracas), quae Rhodopeis montibus circumfusae sunt ac tum Macedoniam crudelissime populabantur (nam inter cetera dictu audituque horrida, quae

in captivos agebant, raptis, quum poculo opus esset, humanorum capitum ossibus, cruentis capillatisque adhuc ac per interiores cavernas male effosso cerebro oblitis, avide ac sine horrore tamquam veris poculis utebantur; quarum cruentissimi atque immanissimi Scordisci erant:) has itaque, ut dixi, Claudius pellere Macedoniae finibus attentavit magnisque se malorum molibus obiecit; unde quum animo aeger et curis circumsaeptus, morbo insuper correptus esset, interiit. Huius successor C. Scribonius Curio (consul a. u. c. 678. sequente anno) attentatarum superiore bello gentium vim declinans, in Dardaniam arma convertit eamque superavit." Orosius 5, 23. *Italiae maritima* infesta erant Cilicum piratarum incursionibus.

§. 4. *in senio corporis*] Facillima et loci sententiae quam maxime apta emendatio mihi visa est pro *ingenio corporis*, quod explicari nequit, etsi Carrio defendere conatus est, allata interpolatione Latina, quae pro Graecis Plutarchi verbis in Codd. nonnullis Auli Gellii N. A. 1, 1. inculcata est: *Plutarchus in libro, quem de Hercule, quali inter homines fuerit animi corporisque ingenio atque virtutibus eius conscripsit.* Peiores etiam sunt ceterae corruptelae: *ingenuo corpori* et Cortianum *ingenui corporis*. Or.

IN EPISTOLAM CN. POMPEI.

A. U C. 680. in Hispania bellum ut minore successu, ita atrocius gestum. Sertorius, quum exercitatiores hostium copiae usu et disciplina in stataria pugna multo plus valerent, bellum defendere quam inferre satius habuit. Itaque castella opere et natura munita occupare, per insidias hostes circumvenire, subitis incursionibus fatigare atque terrere; qua hostium iter erat, omnia vastare, ipsum mare latrociniis infestare. Cui rei perquam opportunum erat Dianium, (hodie *Denia*) haud procul a Sucrone (*Xucar*) flumine in ora maritima situm; quod caput belli maritimi erat. His artibus non modo animos militum confirmavit, sed etiam hostibus terrorem iniecit atque omni commeatu intercipiendo tantam fecit inopiam, ut ab obsidione Calagurris (hodie *Calahorra*) oppidi depulsi, diversas regiones peterent, Metellus ulteriorem Hispaniam, Pompeius Galliam. Pompeius igitur, iam antea Sertorii virtute a Pallantia (*Palencia*) occupanda prohibitus et summa rei frumentariae inopia pressus minaces has ad senatum misit literas. In sermone arrogantiae pleno facile agnoscas fallax hominis ingenium, qui simulata verecundia male innatam animi superbiam tegebat, quem quidem Salustius bene *oris improbi*, *animo inverecundo* dixerat. Gerl.

§. 1. *a prima adulescentia*] Pompeius tres et viginti annos natus exercitum privato consilio in agro Piceno collectum ad Sullam duxit et anno post ex Africa triumphavit. Gerlach. — *contra aetatem*] Duodetriginta annos natus ad Sertorianum bellum missus est cum proconsulari imperio, quamvis nullum etiam tunc magistratum gessisset. Virg. Aen. 11, 360. *Quid miseros toties in aperta pericula cives proiicis?* Burnouf.

§. 3. *hostique* cet.] Etiam Appianus Hispan. 107. Sertorium ait contra Romam profectum èt Pompeio atque Metello mandatum esse, *ἵνα τὸν πόλεμον, ὅπῃ δύναιντο, ἐξωθοῖεν ἐκ τῆς Ἰταλίας*. Gerlach. — *iter aliud*] Appianus B. C. 109. *ἑτέραν δὲ (ὁδὸν) ἐχάρασσεν ἀμφὶ ταῖς πηγαῖς τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ Ἠριδανοῦ*. Verum non Padum ipsum, sed Ticinum significari manifestum est. Pompeius per Alpes Graias exercitum duxisse videtur, quod iam eo est probabile, quod Alpes maritimae atque Penninae a Gallis occupatae tenebantur. — *Recepi Galliam* cet.] Gallos eo tempore bellum cum Romanis gessisse testis est Cicero pro M. Fonteio 1. Pyrenaeum praesidia a Sertorio disposita insederant. Gerlach. Laletani (quorum caput Barcino, *Barcelona*) et Indigetes, eorum vicini, iunguntur etiam apud Plinium 3, 3. Diversi a Laletanis sunt Lacetani, (ut h. l. nonnulli legunt) quorum caput Emporiae, (h. *Ampurias*). *Ilergetes* autem ex mera interpolatione huc olim inculcati sunt. Reduxit eos; ut fere falsissima quaeque, novissimus Editor, Weise. — *Turia* flumen, hodie *Guadalaviar* prope Valentiam. Plutarchus in Pompeio 18. *Ἑρέννιον καὶ Περπένναν, ἄνδρας ἡγεμονικοὺς τῶν πρὸς Σερτώριον καταπεφευγότων καὶ στρατηγούντων ἐκείνῳ, νικήσας περὶ Οὐαλεντίαν, ὑπὲρ μυρίους ἀπέκτεινεν.* Iam, quum Plutarchus, ut Salustii Codices, agnoscat *Herennium*, *Herennuleium* apud Livium Fragm. Lib. 91. librarii errori equidem tribuo; sequitur scil. eiusdem exitus nomen *Hirtuleium*, unde per *ἀβλεψίαν* illud quoque similiter formatum videtur. Or. — *maritumas civitates*] Emporias, Tarraconem et Saguntum significat, quae civitates in rei publice partibus erant. — *quae ultro* cet.] Sic, teste Gerlachio, Vaticani primus et sec. Ita cogitandum est *maritimas civitates* propter classes praesidiaque militaria in iis habenda ultro sumptui fuisse Pompeio. Fateor tamen, me, nisi fidem tribuerem Gerlachio, qui *quae* in Vatic. primo ac sec. adesse expressis verbis testatur, id abiecturum fuisse cum Vaticano Bongarsii, et Pomponio Laeto. Rarissime enim post pronomen relativum omittitur verbum substantivum, cuius generis exempla nonnulla e Virgilio collegit Wagnerus ad Eclog. 1, 55. In Salustio pleraque incerta, veluti Catil. 18. *in quibus Catilina*, ubi Gerlachius et Cortius recte e Codd. addiderunt *fuit*. Catil. 25. *quae instrumenta luxuriae sunt*; ubi Gerl. cum Cdd. aliq. delevit *sunt*, Kritzius recte retinuit. Idem dictum esto de Catil. 37. *qui conscii coniurationis fuerant*. Iug. 7. *Scipionis*, *qui tum Romanis imperator*; plurimi Codd. *impe-*

rator erat. Iug. 10. *quod difficillumum inter mortalis.* Iug. 61. *in provinciam, quae proxuma Numidiae;* sed Turic. Einsiedl. *proxuma est.* Iug. 89. *serpentium, quarum vis — — inopia cibi acrior.* Iug. 111. *pacem, cuius Numida defessus bello avidissumus;* multi Codd. addunt *erat.* Or. — Q. Metellus Pius, pro consule cum imperio iam ab Sulla in Hispaniam contra Sertorium missus. — Ad §. 3. huius Epistolae, ubi cum Cdd. dedi *hiememque castris egi* cfr. Iug. 44. *milites stativis castris habebat;* ubi deteriores libri *in st. c.*

IN ORATIONEM C. LICINI MACRI.

Anno u. c. 681. in Urbe summa annonae caritas, quum et commercia piratarum Cilicum latrociniis sublata et mare praedationibus infestatum esset; itaque lex Terentia et Cassia frumentaria lata. C. Licinius Macer, Tr. pl., irritis aliorum conatis non deterritus, turbulentas conciones de restituenda tribunicia potestate habuit, sed callido consilio senatus tota res ad Pompeii reditum reiecta est. — „C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret (Ern.: evertisset), maius nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops tamen; non valde nitens, non plane horrida oratio: vox, gestus et omnis actio sine lepore: at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio; ut non facile in ulla diligentiorem maioremque cognoverim, sed eam ut citius veteratoriam quam oratoriam diceres. Hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum." Cic. Brut. C. 67. Quod quidem iudicium huic orationi non plane respondet; quamvis enim et inventionem et compositionem iure laudaveris, summa tamen admiratione dignus acer et praesens animus, mentis fervor et summa prudentia, qua plebis ignaviae stimulos admovet. Neque virtutibus, quae dicuntur, oratoriis haec excellit oratio: veritas enim et nobilis quaedam animi libertas magis simplicitate quam ornamentis commendatur. Nihilo minus tamen res saepius agitata, tribuniciae potestatis restitutio, non minore cum copia quam novo quodam dicendi genere tractata est. Gerlach. Scilicet Salustius universe quidem ac generatim oratorum, quos verba facientes inducit, ingenium genusque dicendi expressit, sed libere pro instituto suo ea in re versatus est, quippe qui historici, non eclogarii partibus fungeretur. Or.

§. 1. Lectio Vatic. sec., cuius omnino per se exigua est auctoritas, *docendique* mero errori tribuenda videtur, quam-

quam, ante Gerlachium si innotuisset, fortasse ipsa quoque defensores nactâ esset. Dixissent scilicet summam per elegantiam e vv. *disserendum fuit* supplendum esse *docendique fuistis.* Or.

§. 3. *per militare nomen*] Recte Cortius: „per nomen militiae", id est, quod bellum sibi contra hostes rei publicae gerendum esse dicunt. Falso Wassius: quia dicuntur imperatores. cfr. Iugurthae C. 41. *paucorum arbitrio belli domique agebatur; penes eosdem aerarium provinciae magistratus, gloriae triumphique erant; populus militia atque inopia urgebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant.* Gerlach. — *vobismet ipsis*] Tutius videbatur retinere Codd. lectionem, quam cum Edd. plerisque scribere *vobismet ipsi;* etsi in hoc acrior etiam reprehensio inest. Verum diiudicatu difficillimum est, utrum librariis debeatur *ipsis*, an Salustius ipse, ut videre mihi videor, dativum h. l. praetulerit, melius utique convenientem membro interiecto *uti praesides olim.* Or. — *ad vos plerique*] Facile ex aoristo *concessere* elicitur h. l. futurum *concedent;* nec opus interpolato *redibunt.* Sequentia mire obscuravit Cortius, primus et solus (nulla enim hac in re Pomponii Laeti culpa) sic scribens ac distinguens: — *ad vos plerique: (raris enim animus est ad ea, quae placent, defendenda:) cetera validiorum sunt.* Or.

§. 4. *an dubium habetis ne*] Cdd. *num.* Quod et ipsum Cortius reiecit, et *dubitare ne* idem fere ac *timere ne* in constructione esse exemplis parum idoneis comprobare studuit. Sed vis negativa, quam Edd. *ne* recepto efficere voluerunt, inest in ipsa interrogatione; ita ut non opus sit novum aliquod dicendi genus statuere. Gerlach. — *ne* est ab Aldo avo; sic autem rescripsit propter ignorationem significationis part. *num.* Or. — *C. Cotta*] Consul a. u. c. 679. repugnante nobilitate legem tulit tribuniciam, ut iis, qui tribuni pl. fuissent, alios quoque magistratus capere liceret. „Nobiles inimicissimi C. Cottae fuerunt, quod is consul paullum tribunis plebi non potestatis, sed dignitatis, addidit." Cic. Fragm. Cornel. 1. N. 25. p. 431. Ed. meae. Ibid. N. 8. p. 448. „Possum dicere, hominem summa prudentia clarum, C. Cottam, de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum retulisse." — *ex factione media consul*] „*Cotta, ce consul sorti du milieu d'une faction tyrannique.*" Dureau de Lamalle sane rectius, quam De Brosses; *le Consul Cotta, qui se donne pour chef d'une espèce de tiers parti*, ab eoque decepti, Schlueter: *der Consul Cotta an der Spitze einer dritten Faction*, et Reiff: *War es nicht Furchtsamkeit, welche den Consul C. Cotta bewog, den Tribunen einige Rechte zurückzugeben, und so zwischen beyden Parteyen eine mittlere zu bilden?* — Malim equidem Gallice: *Ce consul sorti du milieu de la faction oligarchique.* Consuetudo ipsa Latina illustratur his vv. Salustii Iug. C. 41. *mos partium popularium et senati factio-*

num - - - nobilitas factione maxime pollebat, et Iug. 31. *eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere - - haec inter bonos amicitia, inter malos factio est.* — *L. Sicinius*] Trib. pl. a. u. c. 678. Cn. Octavio, C. Scribonio Curione coss. Idem sane est, qui apud Plutarch. Crass. 7. sine praenomine ita memoratur: ὁ γοῦν πλεῖστα πράγματα παρασχὼν τοῖς καθ' αὐτὸν ἄρχουσι καὶ δημαγωγοῖς, Σικίννιος, πρὸς τὸν εἰπόντα, Τί δὴ μόνον οὐ σπαράττει τὸν Κράσσον, ἀλλὰ παρίησιν αὐτόν· χόρτον ἔχειν ἔφησεν ἐπὶ τοῦ κέρατος. Tum apud Quintil. 11, 3, 129. ex optt. Codd. auctoritate praenomine nunc caret; ante Spaldingium erat *C. Sicinius*. Etiam apud Pseudoasconium ad Divinationis C. 3. simpliciter est *Sicinius*. Contra apud Ciceronem (Brut. 60.) est *Cn. Sicinius homo impurus; sed admodum ridiculus.* Alterutro loco igitur error inest in praenomine. Ciceronis auctoritatem post Pighium *Ann.* 3. p. 294. sequuntur nunc plerique, Reiff Vol. 2. p. 179. Gerlach Comm. p. 26. „Cn. Sicinius, inquit, libertatis poenas dedit; paullo post enim subita morte exstinctus est; facinoris invidia (in hac ipsa Licinii oratione) oneratur Curio." — Or.

§. 5. *Sulla mortuo*] a. u. c. 676. Q. Lutatius Catulus cos. a. u. c. 676. Lepidi collegae inimicus, Q. Catuli, Cimbrorum victoris et Mariana invidia oppressi filius, vir in corrupto seculo probitatis integerrimae, nec in rebus civilibus minor quam Pompeius in bellicis teste Cic. de Offic. 1, 22. Hunc, quem Sulla ipso saeviorem vocat Macer, egregie absolvit honorificentissimum populi Romani iudicium. Quum enim legem Gabiniam, qua Pompeio adversus piratas bellaturo imperium totius fere orbis committebatur, dissuadens Catulus „in concione dixisset, (inquit Velleius 2, 32.) esse quidem praeclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium iam liberae rei publicae neque omnia in uno reponenda, adiecissetque, si quid huic acciderit, quem in eius locum substituetis? succlamavit universa concio: „Te, Q. Catule." Tum ille victus consensu omnium et tam honorifico civitatis testimonio e concione discessit." Burnouf. M. Aemilius Mamercus Lepidus cos. a. u. c. 677. — L. Licinius Lucullus cos. a. u. c. 688. L. Quintius Tr. pl. (a Cic. in Bruto C. 62. inter eos memoratus, qui aptissimi fuerint turbulentis concionibus) rursus de legibus Corneliis abrogandis egit aegreque L. Luculli precibus et minis a consilio depulsus est. (Cfr. Gerlach. Comm. p. 20.) „Quam perversus et audax homo L. Quintius fuerit, praecipue ex Ciceronis oratione pro Cluentio intelligitur." Gerlach. — *dominatione in vobis* defendi potest ex constructione v. *dominari*. Attamen in Lepidi Orat. §. 2. est *dominationis in vos*. Notanda etiam constructio cum genitivo: Minucii Felicis Oct. 12. *vestrique dominantur.* Or.

§. 6. *probitate*] Quum Codd. lectio *gravitate* nullam probabilem admittat interpretationem, e coniectura in hac scho-

lastica editione scripsi *probitate*. Cfr. Iug. 14. *parum tuta per se ipsa probitas est.* Or.

§. 7. *ad virilia illa, quo*] *quo* ad neutrum plurale refertur, ut Catil. 56. *interea servitia repudiabat, cuius ad eum initio magnae copiae concurrebant.* Gerlach. Ubi acceperis, quasi scriptum esset *ad virilia illa, quo* „genere, *servitia*, *cuius* generis, nihil offendes. — Rectius cum Gerlachio vv. *impigrae linguae*, *animi ignavi* tu pro vocativis habebis, (ut fere Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί), quam cum Burnoufio: *homines impigrae linguae* explicabis. — *quo tribunos plebei modo, patricium magistratum*] Sic distinxi cum I. F. Gronovio, quum vulgo v. *modo* nullâ sententiâ trahatur ad vv. *patricium magistratum.* Sed aliter interpretor. Vir summus scil. haec adiunxit Observv. 1, 25. p. 157. Lips.: „eleganti τμήσει ἀντὶ τοῦ *quomodo tribb. pl.*" At haec ratio Salustianae consuetudini adversatur: quocirca tentanda alia explicationis via, ut *modo* referatur unice ad v. *plebei*; tribunos plebei dumtaxat, exclusis ab eo magistratu omnique eius iure patriciis; qua significatione, ut consentaneum est, *modo* postpositum aliquoties reperitur apud nostrum scriptorem. Nec vero positum esse potest, (id quod Cortio placuit) pro *modo*, *modo*, neque hoc ipsum, ab Ursino commendatum, vicissitudinem quum significet, locum habet. Libentius prope facerem cum Ciacconio *modo* delente, quippe quod facile esse possit pravum glossema v. *quo* falso loco intrusum. Quum e Cod. afferatur *magistratuum*, hoc quoque aliquando in mentem venit: *tribunos plebei*, *modum* (*Begränzung*) *patricium magistratuum* cet. Etenim negari non potest in vv. *plebei modo tribunos* duri aliquid inesse. Or. — „Omnia fere, quae scriptor leviter tangit, leges a Publilio dictatore a. u. c. 416. latae complectebantur. Liv. 8, 12. *tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati tulit, unam, ut plebiscita omnes Quirites tenerent, alteram, ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent, tertiam, ut alter utique ex plebe, quum eo ventum sit, ut utrumque plebeium consulem fieri liceret, censor crearetur.*" Gerlach.

§. 8. *frumentaria lege*] Significatur lex Cassia Terentia, „lata a duobus Coss. C. Cassio Varo et M. Terentio Varrone Lucullo (a. u. c. 681.) consensu senatus, qui aliter placari plebem in senatum nimis vehementer coortam non posse intelligebat. Ea quini modii singulis in singulos menses constituti videntur, nisi id ipsum e Sempronia (C. Gracchi) repetitum est." Ernestius in Clavi Cic. p. 19. Paulo post *qua tamen* necessaria mihi quidem videbatur emendatio Faërni et Gronovii pro Codd. *quae tamen*, quo constructio nimium quantum impeditur. Or. — Quum in vv. *quamvis ampla* insit condicio, necessario v. *quoniam* cum coniunctivo construi debebat. (Vide Gerlachium.)

§. 9. *sublatum in cervices suas*] Vera interpretatio mihi haec videtur: „quasi servi lecticarii dominum", i. e. mancipiorum more eum adulantes." Ceteri interpretes sic fere: „Quando praesens est cum imperio et exercitu, tunc timent:" comparantes v. c. Liv. 22, 33. *bellum ingens in cervicibus erat.* Cic. ad Famil. 12, 23. *legionem in cervicibus collocare*. Verum non satis attenderunt ad significatum v. *sublatum* tralatumque, quod in eo inest. Or. — *adulescentem*] Pompeius tum temporis triginta tres annos natus erat. Gerl.

§. 10. *mutavistis*] vendidistis pro praesenti ignavia, neglexistis, ut in praesentia ignavis vobis esse liceat. Cfr. Gerlachium. Proprie: *für die gegenwärtige Fahrlässigkeit (um ihr fröhnen zu können) habt ihr euch aller Dinge entäussert.* Contra loci sententiam Schlüter: *dafs ihr alles durch eure jetzige Fahrlässigkeit verkehrt habet*; et Reiff: *Alles erhält durch eure Trägheit ein anderes Ansehen.* Or. — *agrestibus cet.*] in primis severitas in delectu habendo intelligenda est.

IN EPISTOLAM MITHRIDATIS.

Epistola haec scripta fingitur a. u. c. 685. „Lucullus transgressus Euphratem et Tigrin apud Tigranocertam urbem cum Mithridate congressus, parvissima suorum manu, magnum hostium numerum occidit. Nam triginta milia hominum in eo bello caesa referuntur. Tigranes vix centum et quinquaginta equitibus comitatus aufugit, diademate et tiara, ne agnosceretur, abiectis." Oros. 6, 3. Gerlach. Post hanc cladem tamen ὁ *μέντοι Μιθριδάτης πρὸς Τιγράνην παραγεγονὼς ἀνελάμβανέν τε αὐτὸν καὶ βασιλικὴν ἐσθῆτα περιετίθει τῆς συνήθους οὐκ ελαττουμένην, καὶ λαὸν ἀθροίζειν συνεβούλευεν, ἔχων καὶ αὐτὸς δύναμιν οὐκ ὀλίγην, ὡς πάλιν ἀναμαχούμενον τὴν νίκην. Ὁ δὲ πάντα τῷ Μιθριδάτῃ ἐπέτρεπεν, ἔν τε τῷ γενναίῳ καὶ συνετῷ τὸ πλέον νέμων αὐτῷ καὶ μᾶλλον ἀνέχειν εἰς τὸν πρὸς Ῥωμαίους πόλεμον δυνάμενον. Αὐτὸς δὲ πρὸς τὸν Πάρθον Φραδάτην* (al. *Φραάτην*) *διεπρεσβεύετο, παραχωρεῖν αὐτῷ τὴν Μεσοποταμίαν καὶ τὴν Ἀδιαβινὴν καὶ τοὺς μεγάλους αὐλῶνας. Ἀφικομένων δὲ πρὸς τὸν Πάρθον καὶ παρὰ Λευκόλλου πρέσβεων, τοῖς μὲν Ῥωμαίοις ἰδίᾳ φίλος εἶναι ὑπεκρίνατο καὶ σύμμαχος, ἰδίᾳ δὲ τὰ αὐτὰ πρὸς τοὺς Ἀρμενίους διετίθετο.* Memnonis *Histor. Excerpt.* C. 58. ed. Orellii p. 87. Fuit igitur Arsaces XII. sive Phraates III., de quo vide Visconti *Iconografia greca* Vol. 3. p. 110. Or. — Iustinus 38, 4. e Trogo Pompeio exscripsit Mithridatis orationem, quam omnino cum hac epistola conferre operae pretium erit. Burnouf.

§. 1. *Tibi - - - oppresseris*] Probat in sequentibus has tres condiciones nullas esse: scilicet, neque pacem habiturum et hostes opportunos atque scelestissimos esse, et magnam gloriam secuturam, si Romanos oppresserit. Cortius.

§. 2. Plutarch. in Lucullo 21. *καὶ τὴν Πάρθων Τιγράνης ὡς ἄλλος οὐδεὶς δύναμιν ἐταπείνωσεν. — dum a Karthaginiensibus* cet.] Nullus, quantum equidem scio, rerum scriptor, Antiochum iam belli Punici tempore Asiam occupasse tradit. Sed hoc serius factum testis est Liv. 33. c. 38. 39. 44. Immo antea talia ne conari quidem potuit Antiochus, quum et in Parthis debellandis et in Coelesyria et Palaestina occupanda occupatus fuerit. Gerlach. — *X. milibus talentorum*] *quindecim* milia habent Liv. 37, 45. et Appian. Syr. 38., qui hac de re tam diligenter exponunt, ut dubitari non possit, quin ista summa a Romanis postulata fuerit. Sed, quum Antiochus non tributum integrum solvisset (Liv. 42, 6.), Salustius solum quod amiserat commemorasse videtur. Nam numerum errore librariorum corruptum esse vix credas, quum etiam apud Eutropium 4, 2. idem sit. Gerlach.

§. 3. *apud Samothracas deos*] *Μυοῦνται ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις· - - τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμόν· Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ· Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη· Ἀξιόκερσος δὲ ὁ ᾅδης· ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος ὁ Ἑρμῆς ἐστιν.* Schol. ad Apollon. Rhod. 1, 917. p. 46. Wellauer. — *insomniis occidere*] Diodorus in Excerptis Lib. 31, 2. Vol. 4. p. 35. Dindorf. min. narratis iis, quae Perseus Albae in tristissimo carcere septem per dies perpessus erat, ita pergit: *ἔπειτα εἰς ἐπιεικεστέραν δοθεὶς φυλακήν* (*liberam custodiam* dicit Velleius 1, 11.) *καὶ κεναῖς ἐλπίσι προσανέχων, ὁμοίαν τοῖς προητυχημένοις ἔσχε τοῦ βίου τὴν καταστροφήν· διετῆ γὰρ χρόνον φιλοψυχήσας καὶ προσκύψας τοῖς φυλάττουσι βαρβάροις, κωλυόμενος ὑπ' ἐκείνων ὕπνου τυχεῖν ἐτελεύτησεν.* Similia refert Plutarchus in Aemilio Paulo C. 37. — *Eumenem*] huius nominis alterum, Pergami regem, mortuum a. u. c. 596. — *prodidere Antiocho*] Hoc eo referendum, quod Antiochus aliquot regni Pergameni oppida et castella oppugnavit (Liv. 32., 8.); quas quidem iniurias tum temporis, bello Macedonico impliciti, defendere ausi non sunt. Gerlach. — *habitum custodiae*] Significat, Romanos Asiam cis Taurum Eumeni non benevolentia concessisse, sed ut has terras ab hostili impetu defenderet. Idem. — Ceterum quod hic vulgo legebatur, iam e Codd. Vaticc. correctum: *post Attalum custodem agri* cet. ex immani fluxit interpolatione, historiae quoque prorsus contraria. Sic enim Aristonicus Attali filius perhiberetur. — *contumeliis*] Livii Epitome L. 46. „Eumenes rex Romam venit; qui, quia Macedonico bello medium egerat, ne aut hostis iudicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus

crimine, si admitteretur, in commune lex lata est, ne cui regi Romam venire liceret." — *testamento*] scil. Attali tertii, Eumenis filii legitimi; *filium eius*] Eumenis nothum scil., ex pellice Ephesia genitum. Cfr. omnino Iustinum 36, 4. Vellei. 2, 4. (a. u. c. 621—624.): „Aristonicus, qui, mortuo rege Attalo, a quo Asia populo Romano hereditate relicta erat, sicut relicta postea est a Nicomede Bithynia, mentitus regiae stirpis originem, armis eam occupaverat. Is victus a M. Perperna ductusque in triumpho, sed M'. Aquilio, capite poenas dedit." — Plerique scriptores, etiam Schlosserus, septem dumtaxat agnoscunt Bithyniae reges, Zipoeten (inde ab anno u. c. 466.) Nicomedem I. Zelam, Prusiam I. Claudum, Prusiam II. Venatorem, Nicomedem II. Epiphanem, Nicomedem III. Philopatorem, mortuum a. u. c. 679., postquam testamento Bithyniae heredem scripserat populum Romanum. In hac, inquam, rerum expositione conspirant omnes antiqui, nisi quod duo Syncelli, tertius Appiani locus ei prorsus adversari videntur. Ille scilicet p. 276. C. (525. Dindorf.) *Οἱ Βιθυνῶν βασιλεῖς η΄ κατὰ Διονύσιον ἔνθεν ἤρξαντο, διαρκέσαντες ἔτη σιγ΄.* et p. 314. D. (593.) similiter octo Bithyniae reges, quorum tamen nomina non refert, memorat. Rectus est apud eum numerus 213. annorum a Zipoete (a. u. c. 466.) ad Nicomedis III. obitum (a. u. c. 679. cfr. Eckhel *D. N.* 2. p. 397.) Altero autem loco p. 314. magno errore commisso sub Augusto demum desisse Bithyniae regnum tradit. Appianus autem Mithrid. 7. *οὕτω Νικομήδης* (II.) *ἀντὶ Προυσίου* (II.) *Βιθυνῶν ἐβασίλευε. Καὶ αὐτὸν χρόνῳ τελευτήσαντα, Νικομήδης, ὁ υἱός, ᾧ Φιλοπάτωρ ἐπίκλησις ἦν, διεδέξατο, Ῥωμαίων αὐτῷ τὴν ἀρχὴν ὡς πατρῴαν ψηφισαμένων. Τὰ μὲν οὖν Βιθυνῶν ὧδε εἶχε. καί, εἴ τῳ σπουδὴ πάντα προμαθεῖν, υἱωνὸς τοῦδε ἕτερος Νικομήδης Ῥωμαίοις τὴν ἀρχὴν ἐν διαθήκαις ἀπέλιπε·* ubi Schweighaeuserus, quo errorem tolleret, sed parum feliciter, ut Viscontio et mihi quoque videtur, proposuit *υἱωνὸς τοῦ Προυσίου ὅδε, ὁ δεύτερος Νικομήδης.* Quod autem Viscontius dicit alios pro *υἱωνός* legere *υἱός*, ex parte tantummodo verum est; si quidem Petrus Candidus Decembrius, Appiani interpres, homo seculi XV. ante inventam typographiam, per merum, ni fallor, errorem ita convertit: *alterius autem Nicomedis filius*, Graeci autem Codd. constanter exhibent *υἱωνός.*

Iam vero coniunctis inter se Syncelli et Appiani locis Viscontius (*Iconogr. Greca* Vol. 2. p. 253.) demonstratum ivit, (quod placuerat iam Reineccio, Spanhemio et Eckhelio *D. N.* 2. p. 445.) Nicomedem non tertium, sed quartum quendam, tertii aut filium aut nepotem, Bithyniae regum legitimorum ultimum fuisse et celebratum illud testamentum scripsisse; propterea octo reges a Syncello numerari, quod auctor eius, Dionysius Halicarnassensis, Nicomedem IV. septem aliunde notis adiunxerit. Hoc

si verum esset, utique in hoc quoque Salustii loco significaretur Nicomedes quartus.

Permulta tamen sunt, quae huic opinioni obstent. Etenim, quum Nicomedis III. nummi inter superstites postremi, ab Eckhelio male tributi Nicomedi IV., a Viscontio recte ad tertium relati, pertineant usque ad a. u. c. 677., ipse Viscontius fateri debuit, brevissimum, vix atque vix bienne fuisse istius Nicomedis IV. regnum, inter annos 677 — 679. Attamen idem, unquam si vixit, teste Salustio, reliquisset filium nothum. Iam haec omnia quum ad infirmandam Viscontii opinionem concurrant, videamus, an alio modo discrepantes isti scriptorum loci inter se conciliari queant. E Salustii testimonio, ut nos interpretamur, Nicomedes Philopator sive III. filium reliquit, qui sane regnum aliquantisper, sed improspero successu, a Romanis rex haud appellatus, videtur affectasse; id quod prodit ex fragmento Salustii Lib. 2, 18. *quos advorsum multi ex Bithynia volentes occurrere* f a l s u m f i l i u m *arguituri;* quae iam a Douza ad hunc Nicomedis III. filium relata sunt. Is igitur a scriptore Asiatico, Dionysio, sine errore Bithyniae regibus annumerari poterat, unde octo reges Syncelli, nisi potius Socratem Frugi (*τὸν Χρηστόν*) fratrem Nicomedis III., quem Mithridates huic frustra aliquando opposuerat (Memnon *Hist. Exc.* C. 30. ed Orellii p. 45. Appian. *Mithr.* c. 10.) hoc numero complexus est Dionysius. Illum autem filium nothum tertii Nicomedis ipsum quoque ex Appiani testimonio Nicomedis nomen gessisse consentaneum est; fuitque re vera *υἱωνὸς* Nicomedis II. sive Epiphanis, ad quem v. *τοῦδε* recte, puto, refertur, quum per totam Appiani narrationem sermo proprie sit de Nicomede II. obiterque dumtaxat mentio fiat tertii. Sic omnia optime cohaerent, nisi quod Appianus ab erroris crimine liberari nequit propter confusum Nicomedis III. filium nothum (cito, ut videtur, a Romanis oppressum) cum patre, qui populum Romanum fecit heredem. Mirus sane error iste; quum praesertim ipse rectius *Mithr.* c. 71. *Νικομήδους* (III.) *ἄρτι τεθνεῶτος ἄπαιδος καὶ τὴν ἀρχὴν Ῥωμαίοις ἀπολιπόντος*; quo in loco *ἄπαιδος* non tam cum Salustio pugnat, quam significat sine filio legitimo. Filiam ei fuisse constat e Suetonio. Or. — *Nysa*] Minime ex nummis *ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΜΟΥΣΗΣ ΟΡΣΟΒΑΡΙΟΣ*, reginae Bithynicae, h. l. cum Maffeio et Havercampio legendum esse *Musa* demonstrarunt et Gerlachius et Visconti *Iconografia greca* Vol. 2. p. 259. Ex falsis autem lectionibus huius loci tum apud Italum scriptorem tum apud Salustii interpretes (v. c. Douzam apud Gerlach Comm. p. 79.) aliquot errores nati sunt, qui facile iam corrigi possunt. Nimirum quattuor praeterea Nysae innotuere, duae videlicet Bithynicae, duae Ponticae. Prima nobis est Nysa saltatrix, coniux Nicomedis II., mater Nicomedis III. Memnon *Hist. Exc.* C. 30. p. 44. Orellii. *Τῆς γὰρ ἐν τῇ Ῥώμῃ συγκλήτου Νικομήδην* (III.), *τὸν ἐκ*

Νικομήδους καὶ Νύσης, βασιλέα Βιθυνίας καθιστώσης, Μιθριδάτης Σωκράτην τὸν Χρηστὸν ἐπικληθέντα Νικομήδει ἀντεκαθίστη. Ἐπεκράτει δὲ ὅμως ἡ Ῥωμαίων κρίσις καὶ ἄκοντος Μιθριδάτου. Iustinus 38, 5, 10. *Nicomedi* (III.) *saltatricis filio*. Altera Nysa est Nicomedis III. filia. Suetonius Caes. 49. *Caesari in Senatu defendenti Nysae causam, filiae Nicomedis* cet. Tertia filia Mithridatis, virgo magnanima, Cypri regi desponsa, quae ante patrem potionem venenatam sumpsit. Appian. *Mithrid.* C. 111.; quarta eiusdem Mithridatis soror, capta, sed a Lucullo vita donata: Cabiris scil. ἑάλω δὲ καὶ ἀδελφὴ τοῦ Μιθριδάτου Νύσσα σωτήριον ἅλωσιν. Plutarch. in *Lucullo* C. 18. Sed ab his quattuor aliam fuisse Nysam Salustii manifestum est, scilicet uxorem Nicomedis III., et ipsam, ut mariti mater eiusdem nominis fuerat, tenui loco ortam, (id quod inest in Salustii verbis nunc integritati restitutis: *quam reginam appellaverat*: prorsus ut Mithridates Monimen Milesiam — διάδημα πέμψας αὐτῇ βασίλισσαν ἀνηγόρευσεν. Plut. Lucull. 18.) matrem Nysae Suetonii. Incredibiles errores circa has Nysas cumulavit De Brosses *Hist. Rom.* T. 2. p. 537. Or. — *Ptolemaeum*] nonum s. Lathyrum, mortuum a. u. c. 673. — *Nicomedem Bithynia expuli*] a. u. c. 662. Appian. Mithr. 20. — *Archelaus* praefectus Mithridatis in Graecia, summus imperator, cuius virtutem bellicam ipse Sulla magni faciebat; propter id ipsum suspectus regi suo. „Archelaum apud Orchomenum et Chaeroneam proditorem fuisse ex historiarum monumentis probari non potest. Sed hoc Mithridatis irae tribuendum, qui et clades acceptas et pacem ignominiosam aliena culpa contractam statuit. Appian. *Mithr.* 42—45. 54. 55., proditionis autem iam tum insimulatum fuisse etiam Plutarchus auctor est. Sull. 20. 22. 23. Liv. Epit. 82. Nam quod postea Romanorum amicus factus est, (Plut. Lucull. 8.) hoc non eius perfidia sed Mithridatis crudelitate factum." Gerlach. — *Cretenses* cet] Livii Epit. 97. *M. Antonius* (Creticus, oratoris filius, triumviri pater) *praetor bellum adversus Cretenses parum prospere susceptum morte sua finivit* (a. u. c. 680.) Debellavit eos tandem, (ut hic vaticinatur Mithridates) Q. Metellus Creticus a. u. c. 686.

§. 5. *M. Cottam*] a. u. c. 681. Appian. Mithr. 71. — *apud Caberam*] regni Pontici caput, Lucullus hostes sponte fugientes paene ad internecionem cecidit; ita ut Mithridates cum paucis equitibus ad Tigranem perveniret. a. u. c. 683. Gerlach, p. 31. — Ariobarzanes I. a Romanis per Sullam rex Cappadociae factus (a. u. c. 662.) iisque deditissimus.

§. 6. Falsa distinctione usi, (*consilium est, Tigranis regno integro*) Debrossius et Schlüterus totum locum sic converterunt: *Malgré cela, nous sommes bien loin d'être sans ressource. L'Arménie n'a pas souffert; j'ai des troupes aguerries; nous avons, Tigrane et moi, formé le projet*

assez facile de porter la guerre sur le pays ennemi, et d'exposer nos personnes aux évènemens, sans commettre ses états. — *Uebrigens ist unser Entschluſs gefaſst: noch hat Armenien nicht gelitten; mit meinen kriegserfahrnen Soldaten wollen wir, fern von unsern Ländern, mit leichter Mühe, für unsre Person dem Kriege ein Ende machen; falls* (quando) *wir ohne deinen Nachtheil weder siegen noch besiegt werden können.* Eadem distinctione: *Ceterum consilium est, Tigranis regno integro* praelata, Burnouf hunc locum sic interpretatus est: „In tali rerum statu, reliquum tibi consilium est, (una patét rebus tuis consulendi via; videlicet ut tu, dum adhuc integrum est regnum Tigranis et adsunt mihi milites Romano bello experti, procul ab tua domo, parvo tuo labore, per nostras manus et nostra pericula, bellum conficias. Hoc, inquam, unum tibi restat consilium, quia (scil. legit *quando*) neque vincere neque vinci possumus, quin periculi contagio ad te perveniat, tuque aut nostra aut Romanorum iniuria involvaris. *Ceterum* pro adiectivo, ut passim, non pro adverbio intellige." — Aliter rursus Dureau de Lamalle: *Au reste, voici mes projets: le royaume de Tigrane n'est point entamé; j'ai des soldats vieillis dans les batailles; je réponds de tenir la guerre loin de tes états, et avec ma tête et mon bras je réponds de la terminer sans peine; mais tu dois sentir toi-même, qu'il n'est point indifférent pour ta sûreté de nous laisser vaincre, ou de nous procurer la victoire.* — Iam vero manifestum est in his potius inesse debere reprehensionem aliquam Tigranis, veteris hostis atque inimici Arsacis. Ergo cum Gerlachio in Comment. distinguendum: „*consilium est Tigranis, regno integro* cet., quae sic interpretor: Tigranis si non perfidum, attamen callidum ac proprii commodi unice appetens consilium hoc est, dummodo regnum suum integrum maneat, (saltem Armenia superior, in quam Romani nondum penetrarunt) ac praesertim copiae militares, quas etiamnunc habet, incolumes serventur, bellum conficere meis dumtaxat militibus, belli prudentibus, qui praeterea procul a patria, Ponto, quum sint, fugam vix atque vix capessere in suasque sedes pro se quisque reverti possunt, parvo utique suo labore, spectatorem quum acturus sit, nostraque solum corpora discrimini obiecturus; cuiusmodi bello ego meique, qui soli pugnabimus, neque vincere neque vinci sine tuo periculo possumus. Etenim si vicerimus, adeo augebitur Tigranis potentia, tibi ut bellum rursus inferre conaturus sit; sin victi erimus, Romani tibi ingruent." Vides igitur a me arte iungi duo membra *meis militibus procul ab domo* et *parvo labore per nostra corpora;* non ut, praesertim illa *procul ab domo*, ad Tigranem referantur, sed unice ad Mithridatis milites. Iam difficillimum est diiudicatu, utrum vv. *belli prudentibus*, a Charisio servata, e glossemate sint, fortasse ex Aspro, antiquo Salustii interprete,

petita, qui declarare voluerit, quae vis insit in vv. *meis militibus*, an casu, ut fit, exciderint ex unico illo ἀρχετύπῳ, cui hasce orationes atque epistolas debemus. Equidem cum Gerlachio ea pro glossemate habeo: qui defensurus est, fortasse appellabit Iug. 97. *Romani veteres novique et ob ea scientes belli.* Or.

§. 7. *Seleucea*] Haud dubie significatur *Magna* sive Babylonia dicta, a Seleuco Nicatore condita ad Tigrim fluvium contra Ctesiphontem. Gerlach. — *Persidis*] non provinciam, quae proprie hoc nomine appellabatur, intelligere videtur, sed *Persidis* pro *Persiae* dixit, quod maior Persici imperii pars, Media, Elymais, Babylonia et Bactria Parthis subiecta fuit. Gerlach.